Arm. g. tab. 6.
lor. 40

59.

De adeptione Regni, conſecratione, & coronatione Henrici Secundi, Francorum Regis inuictiſsimi, déque ingreſſu illius in ciuitate Rhemenſi Ecphraſis.

PER IACOBVM CHICHON
Iuriſconſultum Seguſianum.

NE TENTES, AVT PERFICE.



oratorij Parisiens. catalogo inscriptus

PARISIIS.

E typographia Matthæi Dauîdis, via Amygdalina, E regione collegij Remenſis
1547.

De adeptione Regni, conſecratione, & coronatione Henrici Secundi Francorum Regis inuictiſsimi, deque ingreſſu in ciuitate Rhemenſi Ecphraſis.

NE tantillum luctus, mœroris, & ſqualoris peperit dies Martij poſtremus, poſt nouem & tercentas olympiadas, anno & trimeſtri addito, Virginei partus, & publicæ reparatæ ſalutis, ac ſtella illa fulgens crinita, minacibus procellis, dum poſtremum fati diem Franciſco Valeſio, Francorum Regi huius nomenclaturæ primo, virtute gloria, rebus geſtis, omnium ſæculorum, omnis memoriæ facilè principi, per ſæna luſtra, & dimidium fere, poſt Ludoui cum duodecimum ſuum ſocerum, Regno Francico imperanti, lege naturæ indixit, quo conſternationis ac turbationis plena eſſent omnia, dolórve immenſus, & acerrimus, pleróſque eo caſu anxiis ſollicitatos curis laceraſſet, vulneraſſet & confeciſſet, quin verſura mentis facta poſt animum obfirmatum, quod nihil in terris foret perpetuum, nihil quod non interitum ſentiat, & vna cadendi, fuerit omnibus etiam Regibus fatalis neceſsitas, Parcarum fixo, nec circunductili decreto, & vt ſunt hominum ingenia & ſtudia, quæ (vti per fata licet) ſuo tempore ad varios dedu

cuntur affectus, ob id lubentiſſimè conuerſa animorum inclinatione. Tãtum gaudij hilaritatis, amœnitatis Calendæ Apriles omnibus attulerint, & vti ab aperto tempore dictæ, ita omnium animos mœſtitia compunctos, ceu ocij liberalis benigne ſuppeditatrices aperuerint, cũ ſublimiſſimum Henricum ſecundũ Delphinum, vnde triginta annos natum, iuuentæ in flore, ſapientia, potentia, præfulgidũ, diuinæ largitatis munere ad hanc ampliſſimam & certiſſimam regni paterni hæreditatem vocatum, in ſupremæ iſtius Regiæ ampliſſimæ dignitatis faſtigiũ euexere, vt ad hæc non pudeat hæc miſcellanea vatũ carmina contexere,

Auſpicijs ſic ſic, iam ſe ac regalibus annus
Induit, & nota fruitur iactantior aula.
Extemplo obſtrepuere chori: collés que, canoris
Pulſibus impulſi: ſeptena voce reſultant.
Lætatur veneranda parens, & pollice docto,
Iam parat auratas trabeas, currus que micantes
Stamine, quod nullus tondens de ſtipite ſurgens,
Purior vt poſt hæc, depulſis nubibus aer,
Induit antiquos, vultũ ridente colores.
Frondea lanigeræ carpentes vellera ſyluæ.
Et longum tenues tractus producat in aurum,
Filáque concreto cogat ſqualore metallo,
Palmes & alma ceres, mitis que fauebit biachus,
Geſtiat omnis ager, fieri iubet, vndique plauſum
Communem, commune bonum, caput hactenus ægrum
Eleuat: & frontem virtus attollit apertam,
Atque ſalutiferis immiſſæ flatibus auræ,
Innocuos cæli tractus, ſynceráque reddent

Atria, ſatifero paſſim moriente veneno.
Fœlix illa dies, totumq́ue canenda per æuum,
Tantas regales dum iam ſibi traderet auras,
Contulit innumeras intra ſua pectora dotes,
Ima petunt piſces, tunc ſe ſuper æquora recti.
Tollere conſuetas, audent Delphines in auras,
Conſurgit plebs omnis ouans, tractuq́ue rudentum,
Pendet & erecto ſuſpendit carbáſa malo,
Tanti regis agit pro ſolicitudine vitam,
Splendidus ornatu, pictus venabula Gallus
Vibrat: & intextæ volitant per ſtagna volucres,
En princeps? en orbis apex? æquatus olympo,
Hinc noua prorumpunt: hij lætis gaudia riſus,
Hinc noua proſperitas, viridi promittitur æuo,
Gratia liligeri, redit clementia regis.

Tunc cuncti Galliæ populi, huius laudum fama adducti, ſimul vt fuit in regem declaratus, pro ſe quiſque ſentientes, ſibi theſaurum quempiam inſignem oblatum, tanquam facti votorum ſuorum compotes, effuſiſſimis ſtudiis immodico gaudio patefactis, ſuum nouum aduentaſſe regem exultant. Quippe ad primum rumorem, qui per excurſores & armillatos deſtinatum illi Regnum nunciauit, Franci principes, torquati, cochleati equites, equeſtriq́ue balteo donati, Beneficiarij, vaſalli, proceres, optimates, numeroſi ex nobilitate, qui illi ſinceriter adhærent, ad eũ confeſtim accedunt, ſeſe ſturnatim offerentes, in gratulationẽ gaudiúmque effundunt pœnè immodicè, eundem tanquã ſuum numen venerabundi, tantoq́ue conſalutationis genere adeunt. Salue hominum rex, atque parens Extemplo

in ſui verba iurant, ſeu ſacramento lubenter in ſui ditionem veniunt, ſe illi Regum omnium cordatiſsimo, florentiſsimo, recenti, inaugurato principatui offerunt, & inenodabili vinculo copulant, illi & ſuis diem illum quo regno patrio atque auito inauguratus eſt, auſpicatiſsimum eſſe cupiũt, vt neque ampliora optare audeant à ſuperis quàm fœlix fauſtũ illi ſit ſemper, quicquid cogitet, quicquid agat, rerúmq; ſuarũ proſperis initijs, perpetuũ fœlicitatis tenorẽ, ac poſtremò ſecundiſsimos exitus accõmodent, verùm iam promittunt, nec abnuunt, ſed annuunt, ſic pollicẽtur ſuo nomine ad ſalutem Regiam Henriceam tutandã, excubias, cuſtodias, vitam, ſtatum, corporum oppoſitus, atque ſuas vires & opes, apud eum in iſto ſublimi Regali faſtigio ſedentẽ, Exclamãtes prout Homerus verbis rerũ & naturæ ſagaciſsimi interpretis, Rex vnus es, & princeps noſter es,

Regia quem exceptum videntque ex more vocati,
Intendunt aures ad ſua verba ſuas.
Quos vbi facundo ſua vox hilarauerit ore,
Vtque ſolet tulerit proſpera verba dies.
Pro quibus vt meritis referatur gratia iurant,
Se fore mancipium tempus in omne ſuum.

Nec inde domum reduces, ſed fuſcis togis, latus ſuum aſſectantes, donec iam patris Franciſci, in æde ſacra Dyoniſiaca priſco Mauſoleo, & Sarcofago, in ordine Regum Francioenûm, inter Franciſcum Delphinum primogeniũ partum, & Carolum Aurelianorum ducem, prima & poſtrema chara iam fato data pignora, mortaliſque vitæ munere perfuncta, elati & conditi, communi funeri ad quartum & viceſimum diem Maij, parentalia perſoluerit, eá-

que omnis funeralis & cæremonia ſit peracta. At quacunque patet orbis Chriſtianus, principes vicini & exteri iam ſeipſos colligentes, ſummi pariter & infimi, eo regnũ adepto, cum apud eos admirabilis prædicetur virtutis eiuſdem conſtans opinio, velut lætitia certatim exultantes per Legatos, eidem nouo Regi longè gratiſſimo, gratulantur, etiam qui extra dogmatis Chriſtiani pomeria degunt, eundem camelorum, dromaderiorum ſeu equinorum armentorum, pernicum & velociſſimorũ, æfferatorum Aſiaticorum animalium, aliarumque rerum inſuetarum, donariis onerarunt, vt illi per eos ſuos Legatos lætitiam immortalem, gaudium incredibile, voluptatem incomparabilem, animi geſtientis titillationes, quas eo Rege declarato conceperint, publice & priuatim repræſentarunt. Quorum principum Legationes, & alios eum adeuntes libenter & benigne tractatos magnificè regaliterque dimittit. Protinus quidem vbi is Rex eximius Regnum obtinuit, conſilium habuit, quo ſuo cerneret conſona regno, & primum de variis rebus, quæ ex vſu Reipublicæ eſſe viderentur, cogitãs, ad confirmandum regni ſtatum, idque agens; vt res regni in eundem commodiorem redigantur: Illuſtrem montmoranſerium dictatorem ſeu Coneſtabilem, cuius inſignia, dictio Græca, aplanos vndique contexit, virum rarum, & cunctis ſæculis ſummis laudibus celebrandum, ad minutiſſima quæque attentiſſimum, perſpicaciſſimo ingenio, memoria ſingulari, labore infatigabili, mira ingenii ac iudicii laude præditum, fortunæ corporis animique dotibus cumulatiſſimum, à Nemeſi nunquam perdomitum, ſuæ adoleſcentiæ formatorem, inſtitorẽ, & probum artificem,

ad aulam reuocat, & reddit velut togatum conſilijs, cum hoc tute conſilia conferens, in cuius reclinat humeros, & maximam partem publicorum negotiorum, ſub quo dedu-ctore, tyrocinium fecerat, in quo velut ſpeculo, virtutis, & morum eruditionis abſolutiſsimam imaginem cernere poſ-ſit expreſſam, exemplar habens ſibi domeſticum prælucẽs, facilè intelligens, re præclara & eximia, huius ductu talẽ ſe heroa, & quàm ſapientẽ præſtaturum, diligentiſsimum rerum perpenſorem, grauem cenſorem, peracutum extima-torem. Quid enim in omnibus dotibus quæ à ſuperis dari poſſunt comperiri poteſt? quod in ipſo, Strenuiſsimo Cone-ſtabili montmoranſerio non ſit eximium & cumulatiſsi-mum? Quis enim fuit in eo vel bello vel pace clarior? Quem res aduerſæ magis exercuerunt? nunquam à recto deflectere potuerunt. Quis proſperis & ſecundis minus in-tumuit? Quis in vtráque fortuna conſtãtior? in labore per-tinax, in remiſsione diligens, ac præcinctus, audax, laboris patiens, periculi cõtemptor, manu atque ingenio promptus, qui cum in armata militia pluribus expeditionibus, vices regias obiſſet, tanta iam grauitate, prudentia, & auctori-tate molem totius regni ſuſtentans, ſolertem regni cuſto-diẽdi cauſam impendit, ſola virtute promeritus, vt digniſ-ſimus clauum tenens quietus ſedeat in puppi gallicana, eámque dirigat, rectámque teneat, tempeſtatum nubila di ſcuſſurus, infatigabilis in tãtis negotijs animi, qui ve Regijs curis ſic adeſt, de quo omnes ſic loquuntur & ſentiunt, vt nemo vel amantius vel honorificentius negotia regni fœli-citer conficiet, qui pridem res afflictas, & grauiſsimo caſu perculſas ſubleuarit, nihil cõprobaturus confirmaturúſque,

quod non è re, dignitatéve Francica viſum foret, in eáque regni prouincia obeunda, nulli vnquam, aut loco, aut tempori, aut muneri defuturus, is fuit ſtimulus, acutus ad expergiſcendam Henrici Regis, à teneris vnguiculis, quærendæ gloriæ cupiditatẽ, poſteritatis magis & memoriæ in ſæcula permulta perennaturam. Enimuero poſtquã Henricus Rex, ex ſelectæ memoriæ Franciſco & Claudia, parẽtibus, Ludouico duodecimo & Anna Armorica auo & auia optimis vtrobique Regibus progreſſus, fuit in lucem ſuſceptus, ita altus atque educatus, & à puero præclaris ſtudijs probitatis inſtantiſſime addictus, & ſub ferula & norma montmorantiana, quæ teneros his moribus imbuit annos, plane eruditus, & docilitate frænis iuuẽte, adhibitis inſtitutus, vt illis hunc ſemper placidis egerit, & fœlix indoles, nihil de eo non eximium polliceretur, in eóque natiua probitas, genuina Regia vetuſtas, huius opera, ab eo poſtea impenſe cultæ explenduerint, illique iam omnes corporis animique virtutes conſtarent, & quantas nemini cuiquam contigiſſe ſatis conſtat, atque igniculos à natura genitos excitauit montmorantiana facundia, & eruditio, in ſermone non ſalſo, ſed mirifica quadam ſenſuum acrimonia condito, verborum vultuúmque comitate vt nulli impoſturam factitaret, atque ex ſuo ore, non modo nõ verbum dictu fœdius, ſed ne leuius quidem vnquam aut licentius excidat, niſi ſanctum & pudicum, non actio, non geſtus, non inceſſus in eo notetur, non aliud poſtremo, quod in deteriorem partem vergat. Cúmque iuuenis dediſſet euidens ſpecimen ingenij ſui perſpicacis Regno digniſſimi in animo ſedato, & tranquillo, vt omnibus magnis præſágijs

in hanc erudiri ſpem cœperat, vt iſtius iam Regiæ virtutis faceret fidem, Franciſcus ſuus pater & quidem Rex grauiſsimus, adduci perſuaderiq́ue potuit, vt eum Henricum filium ducem Britannum ſe viuo, & Regem peculii materni renunciari pateretur. nihil cunctatus ſimul, vt modeſtiam ſuam ab omni labe ſuſpicionis aſſereret, quíve tædio, diuturnæ affectæ valetudinis in viuis, rationariũ regni, domi foriſq́ue eidẽ maximo natu, ſuperſtiti filio, tot rebus, tot bellis, duce & comite Coneſtabili exercitato tradiderat, cuiuſque vigilantia fretus in vtram vellet aurem (quod dicitur) ocioſus dormiret. Qui ſic iam militaribus inſtitutus, ab adoleſcentia imbutus, tam peritus euaſerit, vt iam cætera omnia quæ virili armorũ exercitio atque vſu militiæ, Regali caſtrorum diſciplina, ad exercitatiſsimum ducem pertinent, vti in militari gloria, & diſciplina, tempus, locum & pugnam eligere, aciem ordinare, hoſtem perturbare, inſidias euitare, aciem reſtituere, ſtratagemata concinnare, dubiorum animos in fide retinere, auxilia & commeatus inducere, hoſtem obſidere, obſeſsis pauorem & deſperationem inijcere, exhiberet, & calleret, nulla ſibi ſimilem mortalis protulit ætas. Ordine qui Martis turmas, equidém que locaret Quíve Rex Franciſcus ante mortem imperterritus, præteritorum memor, præſentium ſolertiſsimus diſpenſator, futurorũ religioſiſsimus prudentiſsimúsque cautor, in eum Henricum iam regni ſarcinam, & onus omne reclinarat, vt in eius adminiſtratione, illi aſsiſteret, illi adeſſet, quod olim Theſeus Herculi, aut Achates Aeneæ. Quod nec prouidentia ſana dignius, amplitudine glorioſius, clemẽtiæ, pietati, fœlicitati conueniẽtius facere potuiſſet, quàm

vti quem, ex vtilitate publica fuit, vt genuiſſet, eidem quoque per patrem, & decus & nomen Regium accreſceret, iamq́ue tale de ipſo ſpecimen dediſſet, talẽ tantúmque iam in arduis negocijs geſsiſſet, & præſtitiſſet, vt incredibilem cui reſponſurus plane erat, expectationem concitarat, non indecorus tanto regno: non impar tanto faſtigio Regio, vt Francorum ſapientiſsimus idémque ſanctiſsimus ampla maieſtate gallis occurreret, in quo antea experti ea quæ pinguiora & grandiora deſiderantur in Principe, iam maximo rerum vſu, incomparabili prudentia, ſuprema gloria, incredibili fœlicitate & admirabili, perſpicaciſsimo ingenio pollente, fruſtrari non poſſunt, qui eum nuper Regem habere cœperunt. atque eum à modo habeant optimũ quidem & maximum, huius ſuæ ſpei fructum ſatis vberem conſecuti. Cum in veſtibulo Regiæ præfecturæ cunctis aliquod ceu ſignum, ex arce illa ſui regni ad bene ſperãdum, obtulit. Cum illæ pacis artes coaceruatim ſibi eum vindicarent, fides, iuſticia, grauitas, altitudo animi, moderatio, conſtantia, tum liberalitas, indulgentia, clemẽtia, comitas, affabilitas, humanitas, quæ maieſtatem pariter & gratiam conciliant, mortales omnes ad eum amandum colendúmque alliciunt. Atque poſt Coneſtabilem ſeu magiſtrum equitum, deputarit, ſeu in ſede ſua digniſsimè ſtabilierit. Excellentiſsimum Franciſcum Oliueriũ virum optimum ac modeſtiſsimum, præfectum prætorio. Cancellarium iuriſconſultiſsimum, rerum omnium callentiſsimum, amabili quadam omnium virtutum harmonia præditum, qui pro ſui cognominis alluſione, ad id quod eſt pacis, inſigne, hortamento & incitamento, & vehementi eſſe poterit, qui

tanquam fecialis, vti M. Valerius patrem patratum, velut Sp. Fuſium ad iuſiurandum patrandum, & fœdus ſanciendum, verbena ſeu oliua caput tangens, more priſco Romano conſtituet, vt Gallicos triones iam pax Gallica temperet, tãquam inſignis nominis pacifici oliuæ ramo viridi decoratus, atque in omnium rerum genere, cum hiis lectiſſimos viros principes, etiam Cardineo fulgore corruſcantes, purpuratos, Romanæ eccleſiæ lumina, qui conſiliariorum partes in ſuo ſelecto conſilio ſunt auſpicati. Aliíque legati expertiſsimi, concitatores, & conciliatores, ſuæ aulæ interioris coronam circunſtantes, pietate & doctrina ſingulari, in quorum albo, Bertrandus præſes magnificentiſſimus, præter exactam iuris peritiam, præter elegantiorem etiam literarum ſcientiam, tanta modeſtia, prudentia, iudicio, animi moderatione atque integritate, qui iam diu, in principali Lutetiano, totius Galliæ centumuirali conſilio, & Gallici orbis theatro, cum laude præſideat, tertium obtinet locum, aucto ſodalitio equeſtris & cõchyliatæ dignitatis, ad Diui Michaelis inſigne, & tribunorum militũ, ſeu mareſcallorum, in quo honorificentiſsimum & præcipuum nactus locum, delitiæ Regiæ perſpicaciſſimus iunior à ſancto Andrea dominus, qui in hoc ſemper talem omnibus expectationem ſuæ virtutis cõcitarit, vel naturæ & animi dotibus & fortunæ ornatiſsimus, Regij cubiculi præfectus primarius, qui ob eius ſingularem virtutẽ, & rarã, omniũ in ſe mortaliũ oculos conuerterit, & æque in patre ſeniore eidem militiæ aſcripto, omnes virtutes vim ſuã expreſſerint, nedum ævi ſed & cõſilij maturitatem exhibẽte in Regni negotijs, quorum virtutes rariores homines ſequuntur. Quibúſve vigilantiores in decorè Regio tutan

do & rebus regni conadminiſtrandis vix Gallia multorum iudicio conſpectura eſt, aſcriptis pleriſque alijs qui Regis aſtant à libellis, vt commodius querelæ accurrentium in conſilium deferantur, néve ſegnius cõmiſſa negotia expediantur, qui huius curriculi præmonſtratores, & præitores adminiculatiſſimi, adeſſe debent, & proniores immo inſtructiores & expeditiores, ad id ſtadium Regium percurrendum, vt carmina illa occini valeant,

Nunc auferte dolos, & orbi faceſſite fraudes:
Inſidiæ procul ite: procul violentia migret,
Orta ſit & probitas, aſtrea reuertitur omnis. *Per hos bono omine Regnum auſpicatus, ſuo principatui non inauſpicatiſſimum dedit fatum. Tales eum circunſtent, integri ſemper & graues viri, in conſilijs, in officijs, in domeſticis colloquijs, qui ad egregium principem gerendum, & omnibus abſoluti principis dotibus, egregie cumulandũ, cumulatum, confouendum, vel addent ſtimulum, vel viam aperient. Tales ne dum in familiam ſuam Regiam, atque adeò in cubiculum pertractet, velut hos habiturus, in conſilijs arbitros, itinerum ſuorum comites, quibus iam ſtipari gaudet, incredibili apud ſuã regiam celſitudinẽ, tum gratia, tum auctoritate pollentes, iam ſecũ omniũ afferẽtes teſtimonium Regiæ iſtius virtutis & magnanimitatis, vt nec deliteſcere, ſub modio (quod dicitur) præclarũ virtutis culmen patiantur, vt hoc ſæculum fœlix ſit hoc Rege, & tam excellentiſſimis viris Regis conſiliarijs, & cum quibus nulli vbique gentium reperiãtur, qui vel animi vel ingenij magnitudine, atque præſtantia, politia, vrbanitate, religione, ſanctimonia, bonarum artiũ ſplendore, omnium denique*

virtutum genere, cum his comparari queant, veluti ex horũ prouidentia, & prudentiſsimis conſiliis, tum omnibus publice, pariter ac priuate, proditura eſt ſumma vtilitas, quorum virtus & ſapientia tanta ſit, vt cum vniuerſo orbe terrarum, facilè queant de omni genere laudis, contendere. quorum cunctis nota ſit probæ & conſcientiæ ſinceritas, ingenii æquitas. Denique is Henricus Rex tãto regno deſtinatus, quem velut nouum ſalutare ſydus aſpiciunt omnes, non debeat horũ omnino conſilium aſpernari, per quos inter mortales monarcha, ac plane numinis inſtar, omnibus ſapiet, atque per hos emergẽtes ſummo principe dignos naucleros, ſedulo proferetur, id ſecuturus quod ex omnibus factu optimũ iudicabit, quæve ad quietem publicã, placita erunt, ab his, ſi prout quantũuis peritus gubernator in tẽpeſtatibus, admoueri patiatur, hi enim erudiẽt, quæ didicerat Agaſicles vir cordatiſsimus, à ſuis maioribus, non epicheremata, aut enthymemata, aut ſchemata, ſed exẽpla fortiter integréque gerenda, & regiũ pectus, potius armandũ honeſtis rationibus, reapſe per ſe frugifera, quàm linguã ventoſis verbis, vt vel aſſentantibus, vel verè laudantibus, occaſionem magnificentiſsimi præſtet exempli, quive in ea palæſtra aulicæ diſciplinæ, & acrimoniæ officina adeò exercitati, vt flexus & præhenſiculas hominum, ſupplantandique artificia nouerint, & ad ſingula momenta, rerúmque inclinationes, oculos aurẽſque circunagant, quippe per hos à ſuo comitatu abĳciendos inſtruetur, gnatones, adulatores, paraſitos, doloſos, thraſones, ſuſurrones, inuidos, detractores, qui principes plerunque errare cogunt, & quorum verbis, perſæpe etiam boni in magnos errores incide-

runt, vt etiam delatores, prout Domitianus procul arceat, vt quod dant, exilium habeant. denique luxu perditos, qui inſynceris ducũtur officijs, in ſcortationibus & luxu vitã agentes, ac aliena cubicula attrectare & promercari ſolitos, ſtupris & incæſtu opertos, nuptiarum permolitores, & alienarum vxorum pudicitiæ infeſtos, vt nulla polluatur caſta domus ſtupris, mox & lex maculoſum edomet nefas, luxuria nec incubet, orbémque vlciſcatur, ſed laudentur ſua prole puerperæ. eóſve qui ad voluptates ineptas auocant, equidem & voluptarios artifices, cum impudicitiæ etiam fama, ab aula regia aliena eſſe debet, æquè oblatos iſtos & paßim obuios, qui ludicra, ſcurrilia acroamata exercent, & qui ſycophanticè viuũt de palæſtra, de ſphæriſterio, de fritillo, omni magiſtratu, ac aulico obſequio, & hominum præpotentũ obſeruantia indignos, ac vanos impoſtores, fumos vendentes, inuicem inſidiãtes, calumniam plane olentes, & alios multiplici artificio loco & de gradu dimouentes, atque etiam deturbantes, ſeu anſam alios deiiciendi, ſternendique cautius præbentes, ſeu tendentes, & ſemper optantes, vt vnius euerſio, ſit eorum, aut alterius votum, atque ſuas effunduntvires, vt clitellæ boui etiam ad cæroma deducto ſint impoſitæ, nihil diſcriminãtes qua textura, quóve filo, animum excolant, nullam acquirẽdæ prudentiæ curã habentes. Quúmque hi rerum Gallicarũ gubernaculis admoti ſint prout boni, æquique, literarum amantißimi, haud dubiè veriſimillimũ erit, vt Rex ipſe Henricus, talibus ſuis conſultoribus, impulſoribus, & ſuũ ſtudium præ ſe ferentibus, bonarum literarum (quæ pacis alumnæ ſunt) candidatos, literatos, literatores, & eos qui

ſe illis deuinxerunt in famulatum, ſuo Regio autoramento, non reſpiciet ſolum & appellet, ſed & præmiјs exhortetur, liberalitate demereatur, comitate inuitet, humanitate ſua regia euehat, foueat, dignitate protegat, ſplendore ornet & illuſtret, vt refloreſcant inſolatæ muſæ, & ſuos recognoſcant Apollines, iamq́ue deſertis Aganippes vallibus, eſuriens, nũc migret in atria Clio, vt quoquo vertat quiſpiam in Gallia muſarũ domicilia, nanciſcatur per viros doctos, optimis humanitatis ſtudiis referta, & veluti ſigno dato, quicquid vbiuis erit inſignium ingeniorum, quicquid vſquam gentium erit eruditionis eximiæ, quicquid egregiæ virtutis hoc tempore, in Galliam velut in ſuum theatrũ concurrat, vt ſæculum iſtud ſuum literatura floreat, nullã rem illuſtriorem ad cõmemorationem Henricei nominis, cum omni poſteritate adæquãdam, & aptiorem peragere poterit, quam ferre ſubſidia, ingenuis diſciplinis, præclariſsimiſque artium inſtitutis per quas ocium, pax ſtudiorũ altrix, orbi terrarum parta erit. Ex horum grege, ſemper ad aulã Regiam euocare licebit, cordatos conſiliarios, Legatos facundos, eruditos ſecretarios, proceres magnates imaginibus nobiles ad ſanctioris & interioris conſilii ſacrarium conſtituendum, dúmque viros augeat eruditos, quos certæ probitatis ſimulacro præditos eſſe perſpiciat, quorũ labores expertus fuerit, & officia Rempublicam inſigniter moderari, ſiue doctrina præcellentes, morũ innocentia cõmendatos, grauitate verecũdos, prudẽtia cõſilióque ſuſpiciẽdos, nõ inhonoratos ſinat, ſed magnis adhibitis ſtipẽdiis cõſularibus faſcibus ſublimet, ab hoc cardine præcipuè pẽdet orbis Gallicani fœlicitas, cum multi cenſeant, non minus decoris, li-

berales artes,humaniora & philoſophiæ ſtudia, ingeniorũ cultus Francis afferre,quàm arma.quorũ egregia cõſociatio,cum diuinarum humanarúmque rerum cognitione, & doctrina coniuncta, ingeniorum enim excellentium magni prouentus iuuandis mortalium rebus,& ad memoriã nominis Regii propagãdam, quàm ob id latina pariter ſit ac Græca facundia,æternis monumẽtis celebratura hunc cuncta loquetur

Tellus: quem variis ſcribent in floribus horæ.
Longáque perpetui ducent in ſæcula faſti.

Alexander ille Macedo,etiam adoleſcens regno potitus,nil actum ſibi in tanto rerum faſtigio putauit,niſi quòd eruditos viros, magnis præmiis ac pollicitationibus vndique conquiſitos,ad eius res geſtas æternitati commendandas, penes ſe haberet, quorum conſiliis & doctrina vteretur.in hos enim Henricus Rex,vt ſit munificentiſſimus, nullius rei magis quàm famæ auarus,gloriæ appetẽs,vt benignitate cedat nemini,pergrata placabilitate, animi munificentia munitus,beneficentiã ſuam latiſſime diffundere debeat,vt in eo ſit compertum,quod deſiderari hoc vnũ debet ab omnibus,vt in eũ iuxta Platonis votum,ſumma munificẽtia,clemẽtiæ & humanitati coniungatur, quæ cũ delectat in omnibus,tum in principibus & regibus maxime,qui quo excellentiores & opulentiores ſunt, eo magis beatiores debent humanitate & liberalitate cæteris antecellere, vtque beatius ducant largiri & dare, quàm accipere.quis illud Alcamenis dictum non iure laudarit, qui cum à quodam rogaretur quonam pacto,regnũ optime ſeruauerit,ſi nulli ait lucrum non fecerit, vt ſuis populis lar-

giatur, qui ſemper aliquid à ſuo Rege capiunt, aliquid poſcunt, aliquid expectāt. Quid illa vox Philippi Regis prudentiſsimi Alexandri patris? ſe malle pulchrum & largitorem longum tempus, quàm herum ſcilicet & tenacē breui appellari. vix eſt enim alia virtus vlla, quæ huic præſtet in cumulandis hominum ſtudijs, atque beneuolentia, vt Romulus quandiu ſe talem præſtitit, quaſi munem in terris eſt habitus, hac Cyrus quo voluit imperium tranſtulit, Alexāder ad Gangem vſque penetrauit, hæcque omnia in omnibus coniuncta clementia ſeueritatem lenitate temperāte, ira, amore, odio, fauore, ab honeſto diuulſis, accedente iſonomia, æquabili bonorum & honorum diſtributione, generatim populum ad ſui beneuolentiam incēdunt. hoc erit promerendi amoris popularis merum & efficax ſtudium, quo potius Regem, quàm armis munitum eſſe oportet, in hoc tutiſsima præſidia, munitiſsimæque arces datæ & firmatæ ſunt. Et regnorum fœlicitas ab hiis principibus, munificis, pijs, lenibus, clemētibus, iuſtis (cum illis ſemper Deus faueat) proficiſcitur, prout ſub hijs allectis & ſelectis, ſingularibus quibuſdam Galliæ ampliſsimis ornamentis, ſapientiſsimis, prudentiſsimis, modeſtiſsimis, albo calculo regii conſilij inſignitis (vt prædicantur & habentur) in quorum moderatione, multis iam conſpicere cō ceſſum eſt, valere æquitatem, pollere humanitatē, feruere religionem, ſi illis ſemper cordi ſint, quæ ſunt optima, perſuaſum omnes habent, nō aliam aulam fore incorruptiorem, quàm Henriceam, æqui iuſtique tenaciſsimam, dum quod virtuti debetur, nullo modo pecuniæ cōcedendum ducat, cum non aurum, non gemmas, non metalla, ſed gloriā

& æternitatem concupiſcere debeat, quam ſic adipiſcetur, ſi ſolummodo integris, & ab infamia ſordium, cupiditatiſque remotiſsimis viris, lectiſsimis probatæ fidei, & doctrinæ ſingularis præfecturas gratuitò conferat, néve aliqui ad honores obrepant, vt non magnopere lex de ambitu deſiderāda ſit, & tanquā ab Hermete Aſclepeio edoctus, petulantiū & ambitioſorū audaciā cōprimat, ambitúmve coherceat, ne virtus nūmis poſtponatur: ſic illi liceat interdicto & lege, omnē corruptellā è republica auferre. Sciunt omnes poſtulare hoc tēpus, vt pecunia doctrinis, ambitio bonis artibus & virtuti cedat. Iniquiſsimū eſt enim & ferè calamitoſum, pecuniā virtutibus præferri, & quā rē ſerui loco eſſe debeat, obtinere probitate poſthabita principatum. cúmque naturæ lege communi, deterioribus imperare debent meliores, ac ne vlterius orcus quibuſdam ducat pedes, diſſoluat tempus, quo iuſti & innocentes fuere perfidorum victimæ. Sola fuit apud priſcos in Gallia, ex qua ignominia aliqua notari potuit, aut præcipua res, in qua merito culparetur, pecuniæ cui omnia obedirent cupiditas, ordinem vitæ confundens. nam vetuſtis quidem illis temporibus in annalibus relatum erat, Gallos auidiſsimam gentem auri. equidem prædicauit Liuius libro primo, tertiæ decadis. & Iuſtinus de Brenno. nec efficaciore clauo, mederi initio ſtatim regni poterit iuſto pio dolori mortalium, vt eum omnes agnoſcant Regem in omni terra, vti regij muneris ſit, & eſſe debeat, libidinem ſordéſque magiſtratuū Domitiani partes aſſumens, coherceat, & hos cæcos vecordiæ ſtimulos plectat, vt Prætores caſtè, integréque ius dicant, & prout ſua fides, amplitudo, grauitas, conſtantia poſtulant, ſuo verbe-

ratu, ſuis flagris, inexpedito id agat, vt per ſuos ſupremos centumvirales magiſtratus grauius ſit conſultum in eos, qui corrupti, corruptibiles, improbi, impij, flagitioſi, facinoroſi, corruptionibus, & iniquis conſtupratis iudicijs referti, corruptionum authores, venalibus ſententijs ius gentium, diuinum, & humanum violaſſe, iuſtitias prophanaſſe, litigantes impio nefarióque animo, indignis vexaſſe modis cauſa cognita detegentur, etiam ſi quorum nomen iam inter reos receptum ſit, ſiue in hos iam decretum, velut capitalem fraudem admittentes, aut quibus dies iam dicta, & quæſtio decreta nequaquam maleficis impunitas detur, vt apoſynagogi, & nec anypenthyni cauſæ ſcilicet dicendæ immunes euadant, néve comperti & conuincti inulti maneant, ſed vt quiſque meritus fuerit in culpa comprehenſus, Critica ſeueritate, varijs cruciatibus, quò rem indicet admotus, vt eis concoctum cibum omnem ex ſtomacho eruant, eorum ſcrutatis criminibus, Vulcano aut Neptuno conſecrentur, reſtéque dent ſupplicium, aut Cambyſea animaduerſione, cæteris cedat in exemplum, néve ſupremi regij comitatus iudices conniuere velint aduerſum hanc aten, noxámque humano generi obnoxiam, tantam audaciam, tam effrænem malitiam, ſed hãc ſibi imprudẽtius indulgentem, & laſciuientem, ad normam ſeueritatis & frugalitatis adigant, ne ſceleribus ſcelera condonentur, ſed poſtea immodice datum repetatur. Euellat & diſſipet Rex ipſe iuſtiſſimus illam auaritiæ ſtrumam, & omnium libidinum ſentinam. Sic ſibi proſpiciens & proſperitati ſuæ, vt nullus inde ſit latrociniis locus. Léxque Cincia in quæſtuarios locum ſibi vindicet, veniat & diſper-

dat de gente, qui cogitauerūt vnanimiter ſimul, aduerſus teſtamentum, & tabernaculum iuſtitiæ expulerunt, iniquitatem meditati ſunt in cubili ſuo, malitiam nō odio habuerunt, & aſtiterunt viæ nō bonæ. facies eorum impleat ignominia, in ira ſua turbet eos, & ponat illos in rotam, & ſicut ſtipulā ante faciem venti, ante ignem comburentem ſyluam, & flammam comburentem montes, vt nō memoretur nomen eorum vltra, prout imprecatur Rex & diuinus vates. Is & tantus rex ſedens in ſolio iudicij, diſſipet omne malum intuitu ſuo, vt culpam pœna premat, accuſatoriſque vis & opes reo proſint. at qui hactenus ſcelerum magnitudine tecti, neque vocari in ius poterant, neque cæteros vexare deſierant, impuri, flagitioſi, ſcelerati, legi Scatiniæ addicti, intemperantes ſe geſſerunt, in omnē ſcelerum & nequitiarum licentiā prouoluti, qui per ſubitas imagines Macharophori, velut dicarum mucrones in hauſtum, ſic in prædam & ſanguinem ſecundarium alacres ſigniferi, fallaces, fraudulenti, veteratores, euaſerunt, vulturij æruſcatores, qui ve annonam excandefacere non veriti, vt arctior incideret, frumentarij, ſiliginarii, horrearij fœneratores, qui numeroſiores quàm vt recenſeri, & notiores vt debeant, vexatæ populationis cauſam dicant, condignas pro meritis pœnas luant, ac qui plurimas cupiditates, calamitoſas & nefarias exercuerunt, diuináque humana iura truculentiſſimo cupiditatis genere inquinarunt, qui furentes incredibili ſuperbia, conatus ſuos per euentum maximarum molitionum explerūt, exactæ vitæ rationem reddere cogantur; digniſſimas pœnas laturi, reſarctis dāna paſſis, vt quod recondiderunt, proferre cogantur, ob id ple-

rique precabūdi, vti AEtheus ille Hercules apud Senecā,

Sed tu domitor magne animorum,
Orbiſque ſimul pacator adſis,
Nunc quoque noſtras reſpice terras.
Et ſi qua tetro belua vultu,
Quatiet populos terrore graui,
Tu fulminibus frange triſulcis,
Fortius ipſo genitore tuo,
Fulmina mittas.

Leges multorum audacia euerſas, horum pœnis immortalitate donet, vt ſua opera leges in omnibus integerrime adminiſtrentur, néve illarum ſacra veneranda maieſtas peſſundetur. ſed iura vigeant, & bonæ leges euehantur, & refloreſcant, ob id iuſtiſsimè, fortiſsimè, & iucundiſsimè, & fœliciter rem geſturus, ſi Galliam edictis vel nouis, vel reſectis, vel excultis adornet, domi foriſque prout è Reipublice vſu, inſtituat, aut corrigat, aut exoleta reuocet, eáque reſtitutione, Rempublicam Gallicanam, alioquin collabētem ſaluam & ſoſpitam, ſiſtere habebit, atque à præcipitio præſeruabit, ſi Horatianum illud procuret,

Vt redeat miſeris abeat fortuna ſuperbis. Et illud Pontanicum obſeruet,

Proh decus ipſa ſibi liquidas delapſa per auras,
Iuſtitia inſultet, vitiiſque à ſtirpe reſciſsis,
Elicit oppreſſas, tenebroſo è carcere leges,
Nec vultu, nec voce minor, fœlicia lapſis
Sæcula præſtabit, legúmque ſilentia rumpet. Et quod Claudianus ſuo carmine indicat,

Seu circum trabeis fulgentibus aureus intret,

Cingat iure forum, denſo ſeu turbine vulgi,
Circunfuſa ſuæ conſcendant roſtra ſecures,
Pendat iuſtitia crimen: pietate remittat
Errorem: puróſque probet, damnétque nocentes,

Vt hoc imperante veluti ſub Helio pertinace, omnes dicere valeant, ſecuri viuimus, neminem timemus, illúdque de eo Naſonianum de ponto effari valeat,

Principe nec noſtro, deus eſt moderatior vllus,
Iuſtitia vires temperat ille ſuas.

Quid enim eſt per immortalem deum, quod magis deceat reges? qui perinde habentur apud Homerum vt dij, quàm audire patienter populi querimonias, & prouinciarum, ac plerunque res omnium criminum, prouideátque ne humanis cupiditatibus res gerantur, cum per hunc modum continget amari à ſuis, quo nullum firmius regnorum præſidium, quàm quod per iuſtitiæ & æquitatis officia, in ſubditorum beneuolentia & charitate conquieuerit, & per id, eorum quibus imperet ſtudium & beneuolentiam nanciſcatur. hi muri, hæc tela, multò tutius hoſtibus opponuntur, & multò fortius obſiſtunt, quàm arces, aut validiſſimi exercitus, vt tātum ille principatus firmus & perpetuus eſſe conſueuit, quo nullus firmior, nullus ſtabilior, nullus diuturnior, quātum probitatis egregium æquitatis, & in ſuos ſtudium & exemplum pariat. quo etiam continget à poſteris memoriam ſuam coli, & eos quos in ſui amorem rapuerit, & id quærentes & cogitantes fœlici proſequens incremento, ad eum amandum faciet ardentiores, velut in omni ſuo ſtatu fœliciores, cū intellexerint, viderint, perſpexerint animum illum ſuum verè regium, ſe velle principem fœlicem, &

eminentem ſiſtere, qui omnibus paria ac demenſa, de æquo & bono reſponſitet, illis præditus velut opibus, in ſanctiore ſuo ſacrario recõditis, Amorrhæi fructũ percepturus, vt optimi ſtatus author dicatur. cúmque & ingenij perſpicaciſsimi, & mitis, & ad humanitatem manſueti, prudẽtiæ ſingularis, Rex ipſe Henricus ſereniſsimus & dicatur & habeatur, prout eſt excelſo & inuicto animo, vt nil huius animi magnitudine celſius, ſua humanitate regia benignius, ſua manſuetudine illuſtrius, ſeipſum æquitatis & beneficentiæ laudibus mirificè ſuperans, omnia ſupra hominem, & meditetur, & molliatur. & faciat quæ regalem præ ſe ferunt magnitudinem, ad ſe iam ad decus & gloriam natum, tanquam ad ſpeciem ſui luminis, fulgore & ſpendore proprio, velut propriæ regiæ maieſtatis claritudinem, non abſque ſumma dignitate & amplitudine, mortalium oculos allexit, vt ſplendidior & iuſtior ab exordio in terris, ad tantam rerum molem præparatus eluceat, vt quicquid in omni genere mortalium magna nixum virtute, & claræ indolis ſibi conſcium, non deſierit adiuuandi iam, & prouehendi prouinciam erga multos exercere benignitatem ſuã, porrigens & munificentiã erga ad carceres abraptos, velut Adraſtea Nemeſi fatigatos, in vinculis & cuſtodijs immeritiſsimè aſſeruatos, quos educit, & priſtinæ vitæ reddit, libertatiq; reſtituit, vt diffidentẽ quẽque ſibi collegerit, erexerit, animauerit, & iam confeſtim ad Rempublicam conuerſus, nulla ex parte ceſſauerit, ad ſe confluentes tanta humanitate & grauitate excipere, quam & appoſitè & variè, & blandè (vt eſt natura beneuolentiſsimus) omnibus querelis etiam ad triſtitiã com-

poſitis,pro tẽpore ſibi expoſitis reſpondere,humanitatis mo dum propè excedens, in appellandis venerandis ſingulis, vniuerſis,memoria certè rerum verborúmque tenacior, vt prodigio ſimilis habeatur,& in negotiis per ſuam authoritatem & fidem,ſenſuumque integritatem quam rariſſimam trãſigendis velocitas celeritati cõgruat, leuitas atque agilitas facilitati dexteritatique,alacritas acrimoniæ, facundia intellectui,iam exaudire exorſus,qui ſalubrem iuſtitiam,legesque & apertis ocia portis poſtulent, tanquam omnia clementer,omnia moderate, omnia denique ſapienter,vt eſt ſummi principis munus, auſpicatiſſimum & fœliciſſimum præſtitit regno ſuo exordium, indigne expulſos in ſinũ ſuum euocat,& tantiſper reuocat ad deſtinatas ſedes,iam corraſis,& gradu motis qui tyrannidem inflammarent,& ad expilandũ populum nouas technas ſuggeſſerant,laxando omne & quicquid auctarij nomine in ſuperindictis admetitũ,ne populos ſuos cuipiã violento præfecto deglutiendos relinqueret,officia dignis dando,ob id ex Senecæ adagio,omnes ſibi obligarit, Reſpublicas & ciuitates illas,quas his credidit præfectis (vti Cheroneus Plutarchus in Cicerone meminit)perbeatas effecit,talibus moderatoribus ornatas & communitas,ſubſidia afflictæ patriæ allaturis,quorum habenis nullis factionibus fatigabuntur,nullo conflagrabunt iniuſtitiæ incendio, ſed omnia ſedata,tranquilla, & ſecura,diutiſſimè producentur, cum omnibus perſuaſum habetur, tales eſſe ciuitatum mores, quales ſunt hi qui Reipublicæ præſunt, vt Plato ſuo haud incelebri verbo docuit.per quos infœcunda reddentur fructuoſa. Tũc fortunati agricolæ,& fauſti cuiuſuis ſortis ho-

mines in illa Eudoxa, eiuſdem fœlicitatis participes, cum tales emergent, qui continentes iuſtitiæ, apprehēdent illam, prout in Eccleſiaſtico, capite decimo quinto cautum. nō hij, qui ſuæ functionis obliti, adeò ſæuire & inſoleſcere velut inſani, temulenti, furioſi, brogitarij aſſueuerant, & tales apud quos libenter audire ſupplices ſcelus fuit, ad quorum pedes, Apolactizati, miſero ſqualore, ſordibus, luctu volutati, crudelitatem, minacia verba, rogationis iuſtiſſimæ ſubiere acerbitatem, & ſordidam repulſam, inuidorum & inimicorum pertulere fraudem, in quibus etiam perſpectum, vicio temporum, licentiam vires nactam, nihil ſibi non arrogaſſe, ſed ex his nonnullis iam in ordinem coactis, in eam ſpem certam, & perennem procumbunt omnes, vt Rex ipſe ſolertiſſimus, in pulcherrimo tanto principatu, in reliquis exauthorandis. Ergo iter captum peraget rumore ſecundo. Nunquam ſecedet ab honeſtis actionibus, nunquam ab officio Regio, quin talis ſemper euadat, qualem eum eſſe oportet, & per ſuam genuinam germanámque, iuſtámque enthymiam, nullo ſtimulo, ſed natura, aut virtute, in omni progreſſu, maiora cumularit, qui nouiſſimè ſicarios, homicidas, & famoſos latrones nouis animaduerſionibus irretiuit, matronarum luxuriem, in ſumptuoſis monilibus pendentibus, longis tractibus aureis baltheis cohercuit, priuatorum arua, paſcuorum & nemorum iura, intra Regia viuaria ſeu leporaria & ſepta ferina concluſa, priſtinis poſſeſſoribus reſtituenda decreuit. Cúmque iuuenis dederit ſpecimen ingenij ſui perſpicacis, vt in viridi ætate, cana ſit maturitas, & qui eū loquētem ſenes audiant, maturam, grauē, & ponderoſam ſententiam

cognoſcant, vt illi non minus ſit auctoritatis quàm gratia, vt pro eius ſingulari, eximiaque prudentia ac grauitate, perſpicere ſibi videntur omnes, prout omnia ſibi de eo tacente polliceãtur, nequaquam eo quempiam iuſtiorem, veriorem, innocentiorem, conſtantiorem, grauiorem expetendum, vt quantus fuit ab initio ſui principatus, iuſtus ciuilis & clemens, tanquam futurus vnicus noſtræ tempeſtatis & princeps ſanè omnium, qui aut ſunt, aut fuerunt, aut futuri ſunt munificentiſſimus, iuſtiſſimus & optimus, in gloria vſque ad exitum obtinebit, ſempérque futurum vt eas eximias immortaleſque virtutes reliquas, iuſtitiam, liberalitatem, magnanimitatem, animi magnitudinẽ, clementiam, placabilitatem, ad extremum vſque perducet. Tãdem Rex excelſiſſimus poſt duellum commilititium, apud diui Germani in laya vicum, vno ex trina ictuum reciprocatione ſaucio, & paulopoſt animam efflante, altero illeſo, quo expertum & cognitum, id nihil eo verſiculo vice oraculi celebrando verius & exploratius

Quouſque vnquam putes, poſſe iacere cadunt. *Et eo hemiſtichio Satyrico - galeatum ſerò duelli Pænitet. Rhemos contendit, ſacramentum ſanctæ vnctionis ſimul diadema Regium ſuſcepturus, ob eam rem appulit Rhemenſium vrbem, die lunæ, quinto & viceſimo die Iullii, ad primum lunæ ſyderalis incrementũ, præſtans ſemiſphe ricum orbem, quo regia inſignia, & ſuorum ſtipatorũ albo & nigro, ſed textura in humeris & pectore ſemiaurea & argentea, ſagi & amictus decorantur, ſub his verbis do nec totum impleuerit orbem. Quæ dies celebris erat vbique diuis Iacobo, & Chriſtophoro apoſtolis, & ſimul ac Rhe-*

menſes Regem aduentare perſpexerunt, expurgatis plateis, domuum parietibus, virentibus frondibus quercinis, & tapetis verſicoloribus exornatis, faſcibus præparatis, frequentes, profuſique omnes lætitiæ ſigna præ ſe ferentes, hilaritate, feſtiuitate, ſumptu, cultu, magnificentiſſimè apparatiſſimeque, nouo & inſolito apparatu, oſtentatione nedum, ſed illuſtri teſtificatione, voluntatem ſuam animum, fidem, obſeruantiam erga ſe ſuam probantes, in honorificẽtiam Henrici Regis efferũtur, per Satyricos motus in mythologia, & verborum hilaritate, in omni ordine, in omni ſexu, in omni ætate ſe exercent, vt nullus aut ætate, aut valetudine, tam imbecillus, qui non ad publicum gaudium, pari lætitia, in hunc ſenſum geſtiente plebe, & popularium multitudine concurſante ſe accingeret, hi populi occurrunt, velut montes & colles, qui concupiti noui Regis viſendi deſiderio, veluti concupitæ ſalutis ſpe, alacres exultant vt arietes, geſtiunt vt agni ouium, atque velut in maxima exoptatione, exoptatiſſimaque cõgratulatione, nullam lætitiæ ſpeciem, nullum dignitatis exemplum, non excogitandum n:n adhibendum prætermittunt.

Publicus hinc ardeſcit amor cum moribus æquis,
Inclinat populo, regale modeſtia culmen,

Omnis turba in cõpitis adeò ſpacioſis, vt in quantalibet orbis vrbe fuerit perſpectum, oppidatim, cateruatim, gregatim, manipulatim, turmatim, regionatim, municipatim, prouinciatim, domeſticatim effuſa, & hæc, & plateæ nequaquam ſuppeditantes, in tecta domos & feneſtras expectantium & conſpicientium ſarcinam coniecerant. Et vt illud diſtichon ſuadet,

Cernere dum cupiunt rumpi pene atria turba,
Et populum lædi deficiente loco.

Circa pomeria in ordine diſpoſitæ machinæ & bellica inſtrumenta, tanquam à Ioue miſſa tonitrua, & fulmina, omnium mentes mouentia, ſuam vim effundebant, & in omnibus templis campani tinnitus aures demulcebant, & iuxta illud monoſtichon,

Et caua multiſonis reſonant tinnitibus æra.

Tubarũ clangores velut claßicũ ſonantes, & tympanorum ſtrepitus, lætitiæ ſigna edebant. Totius vrbis cuculati, & reliquarum religionum ſodales, ſacrificuli & parochi, ſuo ordine bini & bini, in ampliſsimis veſtibus, & eccleſiaſticis ornamentis ſacris canticis perſonantes, & hymnos concinnentes, proſpera ſecundáque omnia læta ac perpetuam fœlicitatem Regi apprecantes vndique occurrunt, ac ciuitatis primores, cõſules, curiones, decuriones, magiſtratus, togati omnes, & honorati ad quoduis honoris inſigne, & ex nobilitate quotquot erant lilijs aureis in angulo pectoris, & cordis affixis, equis inſidẽtes, cum lancearijs aliquot verſicoloris equeſtribus, Henrico ſuo Regi, dijs hominibuſque plaudentibus honoris cauſa, ſeu ad officij & reuerentiæ debitum obuiã prodiere, cum concurſu plauſus lætitiæ plenos dedere, atque in ſui fauorem vti primo Regũ aduentu fieri ſolet, nihil honoris officijve nõ excogitant, quod in eum prætereãt, eum reuerenter conſalutantes, lætis fauſtiſque ominibus hunc proſperum, fœlicem ingreſſum & ſuum Regẽ ac principem agnoſcunt, ac talẽ cui diuus Paulus iußit bono ac manſueto Regi illos eſſe ſibi ſubditos, pendi tributum, pendi vectigal, perſolui honorẽ, red-

di ea quæ ſunt Regia & præſtari, poſtea offerunt præparatum honorarium ſiue aduentitium munus, quod regibus primùm regnum nactis, porrigi veluti bene ominandi gratia aſſueuit, Eumq́ue ſub ſacra vmbella ſericea liliis, & inſignis Regiis ſemiorbiculis lunaribus aureis contexta inducunt, & tegunt à quatuor ſtipatoribus pedeſtribus ipſius vrbis primariis, baculis ſubnixis delata, ſub qua ſublimiſſimus Rex Henricus, præſtolatus Rex, quãta, non alius, multis ſæculis, celebritate, frequentia ciuium cultu, amictus toga ſericea ſemialba & ſeminigra, plumaceo gal lero iam viſendus Rex, & auguſtior, aliorum regum faſti gio, prodibat in publicum, equo inſidens præcioſiſſimis, ephippiis, aureis phalerisq́ue magnificentiſſime adornato, in cuius præferocis, ſaltu, & gyro, tanta dexteritate, tanta velocitate, tanta peruicitate, & agilitate præditus erat, vt nemo vnquam Spartanus, melius equum regere, fræna & habenas moderari nouerit, prout ipſe in tractandis, & do mandis armentis equinis, curſu & ſaltu dexterrimus exiſtit, & prout hi verſus deſignant,

Quis decor? incedens cum ſic gemmatus, & auro
Totum caput fulgens, criſtáque hirſutus equina,
Squameus & rutilus criſtis & caſſide maior,
Ridentéſque genæ, iuuenili in corpore feruor,
Stat ſonipes, & fræna ferox ſpumantia mandit.

Audiuntur voces fauſta ſibi & proſpera ominantis populi Gallici, gẽtiúmque exterarum, cum eo ingens aliunde populorum multitudo confluxerat, vti his haurire oculis aſpectum noui Regis conceſſum eſt, vociferantur, acclamãt, Viuat & valeat Rex, vt nec vlla vnquã lætitia publica

maior vnquã Gallis affluxiſſe videatur, certatim fauſtis acclamationibus occurrentibus, tot millibus applaudentium agminibus, incœptis velut libationibus coronis proſequentibus & excipientibus, & ſupinis manibus nouo ſuo Regi gratulantibus. Tedæ interdiu cum nec hora quinta poſtmeridiana præterierat, præaltæ & haſtatæ vtroque cornu viæ ampliſsimæ, accenſæ, vt illis funalibus ardẽtibus vrbis plateæ, vici vtrobique collucerent, vbique exaudıtæ exultantium voces & iuxta horum carminũ ſeriem,

Per fora conſurgit concors plebiſque patrúmque
Lætitia, & ignes rutilant per compita plures,
Pendula ſuſpendit paries aulæa ſuperba.

Alÿ fidibus, ſiſtris, tibÿs ſe exercebant, quas inflabant varÿs cantitãtes numeris, vt omnia prompta eleganter, & ex fide concinnata exirent in Henriceã regiam laudem, omnia rhytmicis luſiunculis, epodion, ephymnion, epimythion refractus, occinentibus ſuaui concentu, & canoro inſonabant, multis ſymphomaca voce choreis ſe exercẽtibus, plauſibus effuſiſsimis ſtudÿs, immodico gaudio patefactis, vt magni fuerint ciuitatis apparatus, publice priuatímq; adornati. Trophea erecta, & triumphales arcus multiformes extructi, & parati ludi, inſtaurati, & magnificis ſumptibus ornatiſsimi triumphi, varia gaudiorum ſpectacula, vrbici & officioſi ciues exhibuere, vt nihil potuit fieri honoratius, nec magnificentius, vt ne dum ludicrorum certaminum varietate, ſed & naualium præliorum contentione celebrarunt tropheũ memorabile, & noui ſui regis præconium, ſic quàm magnificentiſsima pompa in vrbem traductus. Occurrit illi primùm ianua prior antemuralis vr-

bis,in qua aderat arcus prælaltus, columnis marmoreis ſeu coloribus proximis,ſuffultus,vbique inſcripto nominis Hẽricei ſcriptura Romana primo elemento, aſpirationis notã deſignante, intextis & copulatis ſemicirculis lunaribus, vti poſt nouilunium, vnam impleuit hebdomadam, loco editiore appenſa, in medio regia trililiata inſignia ſcuto coloris glauci aurea, à dextris ſereniſſimæ reginæ, à ſiniſtris illuſtriſſimi delphini, paulò inferiore ab vno latere reuerẽdiſſimi archiepiſcopi Rhemenſis, ab alio excelſiſſimi ducis Niuernenſis ipſius ciuitatis & totius prouinciæ proregis benigni moderatoris, & demiſſius ciuitatis. In ſublimiore parte arcus loco concauo aderat pomum conſpicuum, cõtinens cor recluſum, in cuius cordis penetralibus, inuoluta erat lepida & tenella puella, muſtea, pretioſiſſime compta, quæ ex pomo & corde, demiſſis & apertis emergens, artificioſe, ad locum inferiorem Regi proximum ſe inclinans mirifice aſſurrexit, quibuſdam laudum regiarum prolatis carminibus gallicis, claues vrbis obtulit. Paulò vltra rex progrediens in ſtagno ſatis amplo vrbis mœnia abluente, intuitus nauim vnam, in cuius malo ſtabat æthiops arcu & ſagitta accinctus, cum nõnullis armatis gentiliũ more, inde & aliam effigiatos barbatos, efferatos homines, enſe, clypeo digladiantes, & inuicem inſultantes euehentẽ, qui à natantibus piſcibus, ſe erigentibus, mox in aquam ſe mergentibus aggreſſi, molem prælij naualis ad ſemihorã ſuſtinentes, donec ægrè ſe tuentes fuerint cũ naui flammis abſorpti. poſtrema vrbis munitiſſima ianua ad calcem regiorũ inſigniorú, hæc verba commonſtrabat, Datum de ſuper. Venuſtiſſimum de ſe obtulit ſpectaculũ alius mirificæ ſtru

ctura triumphalis arcus, Regi progredienti, poſt decurſum viæ amplæ, inſignijs, characteribus, priſtino conformis, ſed longè amplior, habẽs ſupernè ſedibus deſtinatis, duodecim Sibyllas, rege quodam medio cõſedẽte, puellas formæ ægregiæ, ſertis, armillis, Attalicis ornamentis reſplendentes, reſonantibus modulis, & varijs muſicæ inſtrumentis, in vertice, cõcha aurea velut lychnus ardebat, vno iuxta eminus tripudiante, ex loco concauo ſe offerente, poſtea reflectente, in vmbilico appẽdens tabula literis aureis encomiũ Regium deſignans. Aderat in domo propinqua, quæ fiſco Regio vrbis patrono ſpectare dicebatur, Regina viſendi apparatus gratia, quæ pridie eius diei, crepuſculo, tedis ceræ optimæ incenſis ardẽtibus præeuntibus vrbẽ ingreſſa fuerat, quod perpendẽs Rex, ſubridẽs paulisper equo cõcitato progreditur, vſque ad ſpectaculum, in quo erat immenſæ magnitudinis lilium candidum, trifolium vireſcens, & late ſparſum, cui in pedes erectæ ſtabant tres venuſtæ facie decora virgines, ſericeo ornatu ſplendidæ, comptæ, quarum vni ſuper vno liliato folio conſidenti, fides nomen erat, alteri ſpes, & poſtremæ charitas, vna adoleſcẽtula alia à dextris in pedes erecta ſub virtutis vnius nomine, quæ vnà Regi tranſeunti, coronam ſuperne lilio appenſam, tãquam in aere erectam, labentem imponere enixæ ſunt, donec declinans ad locum vbi exiguus alius arcus præparatus, arma Regia & archiepiſcopi habens appendẽtia, in quo qui aderãt, tibijs dulciſsimis modulabantur. Paulò protenſius, ante veſtibulum Memphitici virginei templi, erectus & alius arcus triangularis tribus colũnis depictis ſubnixus, vbi intercolumnia in concauo, & angulo cuilibet tenus

*adhærẽtes,erecti tres ſatyri corniferi, colore aëreo,tubis in-
flexis ori admotis,vina ſuauiſsima perfundebant, quibus
licebat æſtate anni flagrantiſsima ſitim contractam ſeda-
re,paululum altius mediæ concauitatis vna, & ſuperne
tres matronæ angulares,ſericeo amictu, ſed colore in quali
bet diſtincto,& velut Gabino ritu cinctæ,hydrijs & vaſis
manu apprehenſis,aquam velut fonte perenni profunde-
bant,in pinna arcus ignis ardens velut lichnus,aurea cõ
cha,per hæc loca gradiens Rex, cum cohorte ſua palladia
ornatiſsimo Gallicorum heroum, loricatorum agmine, or-
natiſsima turba,longa phalange, innumera equitũ multi-
tudine,nam poſt honorarios vrbis occurrentes equites velut
anteambulones, magno vt ſolet apparatu, ex Regio ordi-
nario comitatu prægrediebatur præfectus, ſuis ſatelliti-
bus ſubſequentibus ſuo gradu & ordine, cuius officio in-
cumbit,maleficos conquirere & plectere, & loca ad quæ
Regem declinare contingit facinoroſis hominibus expur-
gare,gradiebantur poſtea numeroſi Heluetij proceroſæ ſta
turæ & ferè gigantei pedeſtres,Regij corporis tutelã geretes,
trini & trini,ſerico albo & nigro vndique ornati, capite ſu
perne plumaceo,ſubſequebãtur plerique Gallicæ,& auli-
cæ Regiæ nobilitatis ſtrenui & primarij viri,ornamentorũ
verſicolorum multitudine lucentes, poſtea duodeni eque-
ſtres,pro paribus Franciæ paludati ſuis,paludamentis ſe-
ricis vniformis coloris,lilijs aureis vndique cõtextis inſignes
inde in pedes Regiæ aulæ ducenarij nobiles veſtibus holo-
ſericis & haſtis ſuis auratis, magnificentiſsimi, tibicines
inde & cornicines,qui tubarum clangore audientium fe-
rè aures obturabant, equeſtres inde magiſtri militum &*

Franciæ mareſcalli, cum baculis, mox illuſtris & magnanimus Annas Montmorãtius, equitum magiſter, antè Regem enſem ſtrictum cuſpide ſurſum erecto manu geſtans, poſt regẽ Rex Nauarræ, & ſinguli pro ſui ordinis & dignitatis gradu, diſcriminatim duces, principes, marchiones comites, ordinis conchulati milites, torque aurea inſignes, poſtea vicecomites Barones, etiã Germani equites Teutonico apparatu, & bellorum duces, multitudine inſigni & in denſiſſimo globo, phaleratis equis, aureis habenis, monili frontalitio, purpureo aureoq́ue ephippio inſtructioribus, longè ornatioribus & venuſtioribus his, quos priſci vates Turno aſcripſiſſe ferũtur, magnificẽtiſſime inſtrati & exculti, ſagulis virgatis argẽto auróq; intertextis, ornamẽtisq; aureis, argententeis ſiue polymitis, murice & croco tinctis, & velut textura de Phrygio elaboratis, & enſibus præfulgentibus accincti refulgentes, vt horũ fulgor conſpicientium oculorum aciem hebetaret, poſtea equeſtres quadringenti Regiæ ſalutis Scoti & alij milites lãcearii, cuſtodes, his quibus iam expreſſum eſt ornamentis induti. Tãdem Rex ipſe triumphantiſſimus, ouans, eo ſuo opiparo & prænitenti Regio comitatu ſuccinctus & inſtructus, appulſus veſtibulum templi deiparæ, pro foribus, ſub vmbraculo ſericeo appendente reclinat, vbi per archiepiſcopũ Rhemenſem Carolum alios pleroſque Archipræſules, præſules, & ſacerdotijs innumerij inſignitos, canonicos, pontificalibus ornamentis indutos, benigniſſimè & honorificẽtiſſimè exceptus, ad templum ipſum, & poſt aliquot preces, ad regiam, & archiepiſcopale palatium, munitum alio arcu triumphali, cũ armis Regiis & archiepiſcopi, ſub his ver-

bis, Creſcã, & te ſtãte virebo, perductus, & vt illud monoſtichon ſonat, Regalẽ tum ad ſummi perducunt principis aulam: inde tempore, in veſpertino officio conſumpto, ad ſolis occaſum, templum reuiſit, ad genua prouolutus orationi & meditationi intentus; ſub vmbraculo ſerico, liliis aureis contexto orbiculato, ſuperne appendente ad ſiniſtrũ chori cornu, deinde poſt ſeſquihoram ad cubiculum remeat, nocte conſequente circa Gallicinium, ſeu eam noctis partem qua Excubitorque diem cantu prædixerat ales, cælum ſuperne, tonitruis, bombis cæleſtibus, ignibus micantibus, imbribus commixtis ſuos luſit iocos,

Poſtera Phœbea luſtrante lampade terras. *Et inualeſcente die, bini Cardinei ordinis Romani, purpurati, patres Gallici de Geurier, & Caſtelio, ex eo templo ad palatium id regium contiguum, & cubiculum Chriſtianiſſimi Henrici Regis ſe conferunt, à quibus reuerendiſſimis illis patribus, primùm quibus decuit officijs Rex ipſe ſalutatus ad conſecrationis ſacrum, & diadema regium ſuſcipiendũ inuitatur, qui eorum poſtulatis annuens, ex eo palatio per ianuam exiguam inferiorẽ, ad Deiparæ ædem proficiſcitur, inter pedites & equites ſiue corporis primarios & ſecundarios cuſtodes, tanquam laterones ab vtroque latere aſtantes, turbam obruentem prohibentes, & præcauentes ne vis aliqua cuipiam inferretur, ea moderatione in tanta popularium aduenarum & conuenarum, nedum indigetum affluentia, vt nullus quantumlibet læſus, & obtritus apparuerit. quem antecedebant ſui aulici, architriclini regij cubiculi præfecti & magiſtri ſcriniorum primarij, aulici ſatrapæ, multi viri conſulares, conſules plurimi diuer*

ſorum regum & principum, oratores & legati, plures & præſules, archipræſules, antiſtites, Cardinales, inter quos legatus pontificis in Gallia, atque ducenariæ aulicæ nobilitatis holoſericati, eo quo regium latus aſſectari conſueuerũt ritu, ſtrenui proceres, caduceatores, corynophori. Inde ſeni coronis aureis vertici detecto infixis, gemmis & lapillis coruſcantes, comparum Franciæ ſæcularium vicem gerentes à dextris ſibi copulatos habebant compares eccleſiaſticos duces, & comites, archiepiſcopos, Rhemenſem, Laudunenſem, & Beluacenſem, Lingonenſem, Cathalanenſem, & Nouionienſem, vt pro comitibus comparibus in ordine incederent Comes Daumala, inde comes Montpanſerius, tertio Niuernẽſis princeps. pro ducibus dux Guyſiæ, dux de Vendoſme, & rex Nauarræ. At ſplẽdidus & ornatiſsimus, auro vndique fulgens Conneſtabilis, gladium ſtrictum, ſurſum dextera eleuatum, ante regis conſpectũ attollebat. Rex ipſe vertice nudo, medius inter eos primarios Cardinales candidus inter candidatos, cum aliỹs comparibus Pontificalibus & ſacris veſtibus ſeu Pontificio ornatu, tyara apicibus in ſuis mitris & palliỹs quæ pluuialia vocant, quorum patagium ſcuti inſtar, in terga dependet, ornatos & indutos, Regem per brachia complexos, inſequẽtibus purpurato, ſericeo cocco, excellentiſsimo Cancellario, ducibus, marchionibus, comitibus, vicecomitibus, militibus & equitibus cochleatis, proceribus ſuis, diſcretis ordinibus, veſtibus aureis, argenteis, artéque fabricatis indutis, in maximo globo, cornicium, tibicinum, ſuſurro velut & ſuaui cõcentu, multitudine, & turba nõ modica præeunte. Hac inſigni pompa Rex ipſe ad chorum, peripetaſmatibus &

tapetis inſtratum, & locum horario deſtinatũ, cui ſuperne id rotundum vmbraculũ ſericeum appendebat, reductus, orationi intentus, pronus in genua. Tunc Regina ex eo palatio parte editiore, qua vitreatæ templi correſpondent, ob id colliſæ ponte tabulato ad hoc extructo, ad ſuperiorem partem chori conſcendit. illic perdurans, donec vniuerſo opere cæremoniali expleto, poſt horam, expleto officio quod continentibus pſalmis tertiam vocant, & ſingulis ſua loca diſtributis, allatum eſt ex Remigiano eius vrbis cœnobio, per vicarium reuerendiſsimi Cardinalis & abbatis, comitantibus cœnobiarchis, & alijs etiam militaribus ſtipatoribus, cæleſte, cælitus ex æthere per columbam diuini pneumatis inſpiratricem demiſſum, ampullæ ad inſtar pyri, & coloris ambigui, oleo refertæ diuino, donum: ad hæc ſacra myſteria in priſtino Clodiano lauacro obeunda, beato Remigio traditum, & ad poſteritatem regum tantiſper in eo templo ſub eius inuocatione antiquitus ſtructum, aſſeruatum, magna veneratione per archiepiſcopum Rhemenſem ſuſceptum, & ad altare cum certis precibus collocatum, & ante ſacræ vnctionis characterem, Rex deuotiſſimus iureiurando adigitur ad pacem ſeruandam, ad mores incompoſitos frænandos, ad rapiſmata abijcienda, ad æquitatem in iudicijs & miſericordiam exhibendam: atque ante aras ſuis ornamentis exuitur, & benedictione peracta cum certis precationibus, accingitur enſe, calcaribus, gladium oblatum reaſſumit, & illo ſuper femur ſuum reaccingitur per archiepiſcopum, atque eductum & ſtrictum tradit Coneſtabili deferendum. iteratò Archiepiſcopus is Rhemenſis, clariſsimo Pontificatus habitu indutus,

multorum antiſtitum, cæterorúmque Eccleſiæ prelatorum turba ſociatus, ſacris quibuſdam preculis ad hoc inſtitutis, ad vnctionem præparandam, apponit chriſma in altari ſuper patenam conſecratam, ampulam Remigianam & diuinam aperiens, acu aurea, pauculum de oleo cælico attracto, chriſmati præparato obſeruãter digito immiſcet, eóque Rex ipſe magna honorificentia exceptus, & toga, veſte & interiore ſubucula exutus, relaxatis thorace & induſio, per eundem Archiepiſcopum delinitur, non ſine ſacratiſsimis ſtatis, benedictionis, precum & cæremoniarũ ritibus, in capite, mox in pectore, inter ſcapulas, & in ipſis tandem lacertorum compaginibus, manu reſtricta vſque ad cubitum, etiam manus regiæ inunguntur, quas pectori admouet adhibitis chirothecis, benedictione ſuffumigatis, accepto eius ſortis annulo in digito medico, donatur ſceptro liliato, ſuis oratiunculis aſperſo, atque vnctis locis coto deterſis, accita vnctione Salomonis per Sadoch ſacerdotem, & regis in Gyon, per Nathan prophetam, inuocatis alta voce litaniјs & ſanctorum ſuffragiјs. Rex veſtitur ſumptuoſiſsimè, & ante altare flexis genibus meditabundus, & meditationi intentus, qui ſic regno & principatui inauguratur, imbuitur, quæ prima Regis ſit functio, quam iureiurando profitetur, opitulari viduis, ſuccurrere pupillis, quorum protectorem ſe ſuis narrat diplomatibus, miſericordiam in illis ſubleuandis præſtet, ab omnibus per iniuriam oppreſsis vim depellat, vt apoſtrophe illi congruere debeat, de qua prouerbiorum nono capite, Tu Rex qui iudicas in veritate pauperes, thronus tuus in æternum firmabitur. cum ſceptrum iuſtitiæ deſignat vndecunque in-

corrupti pectoris ſymbolum, his cõmonefactus debeat præſtare cuiuſdam in republica charitatis indicium. Etiã per virgam qua poſtea æquè donatus, ſit ſedes ſua Deus, virga æquitatis, virga regni ſui. vt ſit Dei metuens, planéque perfectus, & rei diuinæ intẽtus, eiúſque animus ſit plenus honeſtatis, plenus ſapientiæ, religionis, & fidei zelo imbutus, vt ſola religio, ſola veritas, ſolus diuinus cultus in eius mente reſideat.

Religio ſecum ſurgat, clementia ſecum,
Extollat trinum maieſtas regia nomen.

Néve minorẽ curam habeat Chriſtianæ religionis, & diuini cultus obſeruantiæ, vt pietatem, religionem ipſam eorum aſſeclam, iuſtam, integram innocentiam, non ſinat obſoleſcere, néve ſpretus Altiſsimi cultus abeat, vt nunquã ab ipſo ſummo Deo diſcedat: & vt cunctis non venerabilis minus, quàm formidabilis habeatur, & ipſi Deo ſit chariſsimus, aduerſum ſui nominis blaſphemos, contumelioſos & probroſos, & cuiuſvis minutiſsimæ rei impie conculcantes numinis, diuorúmque nomen, nefariè, aut iureiurando, aut execrãdo vſurpantes. exeat ab eo edictum inuiolabile, vt ex formula legum poſtulati, ob ſuggillatam diuinã maieſtatem criminibus expoſitis, peragant reos, corona exaudiẽte, fronti candentis laminæ nota inurantur, ne ſic impunè mouere libere, expatiaríque poſsit amplius animus blaſphemus, & prout trina liliata candida ſigna, à ſuperis quondam polis miſſa pro buffonibus, & diadematibus rubris cõmutata, quæ in ſua reſident natura, vt profeſſus Plinius author grauiſsimus libro naturalis hiſtoriæ primo & vigeſimo, capite quinto, vt reliqui ferè reges, principes, & poten-

tatus, lilia ex Francis excerpta inſignijs ſuis contexere non veriti, ſibi eo fauore addẽtes, & poſteris ſuis titulos inſignes, & prout nullus porrò in Europa, florens erat principatus, qui non olim à Troianis originẽ duxiſſe gloriaretur, ita nobiliſsimus princeps quiſque à Frãcis Regibus (tanquã neminem ſit nanciſci inter orbis Reges, qui ſit cum ijs vetuſtate & proſapia conferendus) originem trahere ſe iactet, & liliorum inſignia, circunferat, congruerint vt hij verſus,

Quod ſi nobilitas cunctis exordia pandit,
Laudibus atque omnes redeunt in ſemina cauſæ,
Quis venerabilior ſanguis? quæ maior origo,
Quàm Regalis Franci? *Sic rex ipſe ſceptriger Chriſtianiſsimus Henricus & principum Chriſtianorum decus, & regum Archirex efficiat, vt ipſum dominum Chriſtum induat (qui & ipſe flos campi, lilium cõuallium, paſcens inter lilia, ſeptus coronis virginum) præſtet animum Regi & nomini Chriſtiano dignũ, in omni eo quod permagnum erit fidei & religioni ſacroſanctæ, ſeuera & ſancta morum diſciplina, ſeipſum & ſuos liliatis afflet odoribus, ſingulare, & ſplendidiſsimum nomen Chriſtianum apud vniuerſas gentes & nationes illuſtret, Eccleſiæ collabenti manum ſupponat, errorum præſtigijs, & tempeſtatibus exploſis, eam ſuo decori primæuo reſtituat, & ad priſtinam ſanctitatis ſublimitatem erigat, & omni ſentina nauim apoſtolicam aggrauante prius exhauſta, diuinitatis emiſſario, ac ſalutis humanæ magnificæ ſponſionis ſequeſtre inſufflãte, prouideat ne fides noſtra aut fluctuet, aut peſſum eat, vt qui in ſacerdotium allecti, res prophanas nulla cauſa interturbant, domum repetant, templa ſua in-*

uiſant, & horario inter multos interciſo & cõciſo vacent, & per eum in ſuo regno, ſeu orbe pacatiſſimo Chriſtiana pax coeat, nihil ſibi antiquius ducat magiſve expetendũ fide, religione, pietate, & apud deum ipſum, cor ſuum in manu ſua tenentem, & per quem Reges regnant, principes imperant, potentes iuſtitiam decernunt, ſine cuius fauore proſpero nullum regnum conſtitui, nec conſtitutum fœliciter adminiſtrari poteſt & qui totius fœlicitatis eſt auctor, omnes actiones ſuas & conatus dirigat, & ſuis auſpicijs componat, tunc tantam erit per fœliciſſimos rerum exitus prudentiæ virtutis quos præſtare conſueuit, fœlicitatem adeptus, vt nihil geret, quod non ille fortunarit, quod non tutum, quod non fœlix, quod non optimis auibus, aut ſecundiſſimis auſpicijs ſibi cedat, & adminiſtratio ſui regni, mutatio erit in melius, & tãtus euadet, in quem vel plura vel maiora, quàm præ ſe feret, optare, comminiſci & deſiderare pudor erit, ſic inclytum nomẽ ſuum Henriceum & Regium florentiſſimum, immortalitati commẽdabit, memoriamque ſui virtute tãta cum erit, quanta Rex vnquam alius, neque fuit nec eſſe poſſet, efficiet ſempiternã. At poſtquam Rex ipſe ſacro & precioſo habitu, Babylonicis Phrygijſque artibus aureis intexto, diu orationi inſiſtens, viſus eſt ab ea animũ auertere, auſpicatiſſimo fœliciſſimæ coronationis dato exordio, ſacris multifarijs preculis interiectis, cæremonijs ſolẽnibus adhibitis, circunſtantibus primariæ nobilitatis proceribus, Coronã aureã ſpecie diadematis fulgore nimio, gẽmis exornatã, ſumptu cuiuſuis rei æſtimationem excedẽte, elaboratam, in qua pretioſi lapilli fulgentes reſplendeſcerent, admonẽtem eum, cohe-

renti conſenſu,omnibus virtutibus oportere cæteris antecellere, ab Archiepiſcopo arreptã, benedictione impertita, & toties repetita,comparibus manu ſuſtinentibus, capiti ſuo venerabundo impoſitam accepit. Poſtea ad regium ſolium,ſuperne per contignationes aſcendentes ſub vmbraculo ſericeo quadrato deductus,& inthroniſatus, vbi ſuper aureo puluillo,velut Attalicæ ſtragulæ,iniecto,in genua procumbit,ſic regni adminiſtrationem adeptus, à paribus acclamantibus,Viuat Rex in æternum,in maxillam deoſculatus,& per corynipherum, ſeu paludatum heraldũ, ſublata voce, vexillis erectis, Rex Francorum pronunciatus & declaratus. Tunc è ſuggeſto præalto, intus & foris templum,publicæ lætitiæ cauſa,aurei & argentei nummi velut miſsilia, in vulgus ſparſi, tubarúmque clangore confirmante,omnes Regium nomen in cælum tollentes,vociferãtur,Viuat Rex. Eo rege ſemper Regio in ſolio, pulpitis aureo puluino inſtratis, orationi intento, res diuina (quam miſſam vocant) celebrari cœpta eſt: quam exorſus Archiepiſcopus,prælecto cõfeſsionis ſymbolo,ac reatuũ abſolutione impertita,ſuas officii partes tranſegit. Reliquas muſici Regii ſuauiſsima vocum melodia,& dulciſsima harmonia proſecuti ſunt. Decantata Euãgelica lectione,librum qua inſerta foret, oblatum ab eo qui diaconum gerebat,deoſculatus eſt Rex, mox Coneſtabilis enſifer,enſem quem geſtabat illic cuſpide defixit, deinde vibrans ſurſum erexit,deſignans eum paratũ ad fidei euangelicæ tutamẽ. Omnia patefacta cæreis incenſis collucẽtia, acerrarum odoribus flagrantia, ſuis vtrobique infra miſſæ ſolennia obſeruatis ritibus, poſt expletum ſymbolum

Nycenum, ſigno dato eidem antiphonæ quæ offertorium deſignat, deſcendēs Rex proceſſit ad altare, oblato ſuo munere, ſacri calicis operculum oſculatus eſt, rediens ad ſolitum ſolium, donec ad canticum, id quod pacis inſigne, propinante Cardinale, pari oſculo complectēs, & ad poſtremam rei diuinæ antiphonam (quæ communionis nomen habet) humi procliuis, orationi religioſiſſime intentus, ab ipſo Archiepiſcopo fragmenta quædā aſſumente, viatico pane, & ſacratiſſimo euchariſtiæ ſacramēto, refectus eſt. Tandem & re ſacra peracta, à cæteris principibus & magnatibus, vti ſuo ordine ſtare iuſſis, benigne conſalutatus, & deoſculatus; in his maxima fœlicitas obtigit, illuſtriſſimo & magnanimo Guyſiæ duci, principū Lothoringorum præcipuo, omnium quos noſtra ætas tulit, modeſtia, continentia ornatiſſimo, qui & ipſe inter cōpares, vti Burgundiæ prorex, immortalem laudem, prouidentia, virtutibus, omnium calculo meretur. Filia regina Scotiæ, aliis liberis, marchionibus & principibus proſapia inſigni cohoneſtatus, intueri habuit Archiepiſcopum ipſum eius filium Carolum, dignum ſe exhibentem hac dignitate, & ipſa fronte generis ſui ſtemmata præ ſe ferentem, multis eximiis dotibus ſuſpiciendum, doctrina quoque vtiliore, ac delectabili, limatiſſime imbutum, Cardinalatus eminentiam propediem accepturum, & in ſummum purpuratorum patrum ordinem ſubuehendum, multis nominibus ſuſtinentē huius excelſi faſtigii expectationem, Primarium inter eccleſiaſticos Franciæ compares principē, ſolennia hæc ſublimia pertractantem, ac cum eo duos alios filios, vnum eccleſiaſticum, & reliquum ſecularem, comitum perſonas

ſuſtinentes, & parium officio fungentes, aſpectu veneran dos, ne dum genere illuſtres, ſed virtute præſtantes, id agen tes, quod hi, qui ex eadem fidelia ſunt, agere debent. Re di uina peracta, qui ampullam cæleſtem detulere, priſtino ri- tu & ordine, ad Diui Remigij templum retulere, ſua in prænitēti marmorea theca remittētes. Poſtea Rex ipſe triū- phantiſſimus ſic inunctus, & diuina prouidentia conſe- cratus, diademateque regio inſignitus maieſtate ipſa Re- gia venerabilis, per hæc triumphalia ornamenta, & ouan di inſignia conſalutandus,

O Rex coruſco ſydere pulchrior,
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna formæ laus erit igneæ. *Cum fas fuerit in*

eodem dignoſcere Euagoræ imaginem ab Iſocrate de di- gnitate regni celebratam, eo Regio ornatu. Regreſſus è tem plo, ea via, & eo priſtino profectionis ordine, inter illi aſ- ſidentes collaterales ornatiſſimos ſenatus Romani princi- pes, ſui noui Riegis coronati omnibus accurrētibus, immen ſa hilaritudine gaudentibus, & ſerena facie geſtientibus, auſpicatiſſimum dedit ſpectaculū, ad quod velut numen aliquod in communem omnium ſalutem è cælis demiſſum procurrere feſtinant. In tam magno omnis generis morta- lium numero, quam magno fere etiā quanto ſimili in ne- gotio, annalium Gallicarum vetuſtas conſecratum in lite- ris produxerit, vel ante meminerint hiſtorici, illi magnis læ titiæ clamoribus applaudentes, vix ad eum Regium con- ſpectum oculos ſuos explentes, atque in mercedem iucun- di illius Regij intuitus, pro ſe ac ſua ſalute & dignitate Regia, votis ſuſceptis, ſupplicationibus decretis, & preca-

tionibus diuinis, apud Panumpheum tonantem inſiſtunt ſignis, nutu, manibus, voce, patefactis, vt intendat proſpere, procedat, & regnet, eiusque proſpera incœpta, proſperrimi conſequantur euentus, necnon perpetua gloria, ſempiternitatéque ſæculorum, immortali laudis celebritate viuat, & ſe diu perfrui regno gaudeat. ſic fœliciſſimis gaudijs effuſis, fœlicem ſibi illum diem congratulantes,

Sicque diem celebrántque bonam gaudéntque ſecundis
Rebus: opus ſuperis nouas perſoluere grates,
Igne crebrò rutilant aræ, templa ardua fumant,
Tandem ſacerdotes cumulantes altaria cantu,
Dántque preces, & tẽpla adeunt, pérque organa tẽdunt,
Tollant de grauibus regem cum plebe periclis,
Cum populo pias referenti denique grates,
Inter ſacra canunt, præſtet per ſecula pacem,
Vt recolat commune bonum, ſedare tumultus,
Vndique, & indomitum ſtudeat compeſcere Martem,
Belláque compoſita ceſſent vt horrida pace,
Hunc regem populi tenſis ad ſydera palmis,
Maturare volunt, ita ſe finire labores,
AErumnásque putant, optata pace potiri,
Optant iam videat canos, ſerámque nepotum
Progeniem, videat populos in pace quietos,
Vincere detque ſuos validis virtutibus hoſtes,
Gallica regales vt agat per regna triumphos,
Vincat Tithonii, vincat & Neſtoris annos,
Perpetuo ſuperi faueant fataliáque aſtra,
Et longæua ferat viuacem gloria famam.

Præſagiunt populi Rhemenſes in hoc fœlici regio prin-

cipatu,ſeu in eam fiduciam adducuntur,pro Regis optimi prouidentia pacis amantiſsima,cuius non minorem ſibi curam fuiſſe declarat totius actæ vitæ ratio, & quod ſemper fuerit pacis tenacior, & ſemper ocij & tranquillitatis publicæ mira cupiditas, quódque in eius partis argumentum acceſſerunt non pauca actionum ſuarũ documẽta, vt is Rex Henricus velut alter Demetrius pacẽ principibus per legatos petentibus nil grauatè reddet,perpetua fide obſtrictam,orbique terrarũ ſerenitatem reſtituet,atque in ea futura pacis expectatione ac fiducia,ſeſe recreant ac conſolantur,vt poſt tot malorum procellas,in tanto Rege tandẽ æternum numen illis ſit reconciliatum, quo ſpirante & almi pneumatis inſufflatione, talem animum eidẽ immittet,vt per has dotes, quas Deus illi largitus eſt,per hos impetus,ab ipſo ſummo illo deo,in ſe trãſcriptos,nihil ſit antiquius habiturus,quàm ea quæ pacis ſunt & pietatis,quæque ad Reipublicæ Chriſtianæ commodum faciũt,vt prudentiſſimis conſilijs ,ſui magni ingenij erit quod in eo relucet,ſummo principe dignum(& deus ſuo fauore prouehat, benéque fortunet)turbulentiſsimam tempeſtatem ad quietem redigere,vt ſi quid publicè aut priuate diſcordiarum inter eum & principes emergat,facilè ſimul compoſitum ſedatúmque reddat, tanquam aduentarit ad id tempus, quo omnibus nedum illis æquum poſſit, dare eis aliquam ætati ſuæ requiem.

Vt hyeſtum illud hoc rege aſciſcant,
Pectora longis hebetata malis,
Et iam ſollicitas ponite curas,
Fugiat mæror,fugiátque pauor,

Fugiat trepidi comes exilij
Triſtis egeſtas, albus'que grauis
Pudor afflictis.

& quod Horatius Seculari carmine,
Iam fides & pax, & honor pudórque
Priſcus: & neglecta redire virtus
Audet: apparétque beata, plena
Copia voto,

atque vt Hercules furens,
Optat laboribus detur aliquando ocium,
Quiéſque feßis,
AEterna curſus alta pax gentes alat,
Ferrum omne teneat ruris innocui labor,
Enſes'que lateant: nulla tempeſtas fretum
Violenta turbet.
Vt belli rabidus furor quieſcat,
Somnus quo placidus per oſſa ſerpat.

& quod Flaccus libro quarto carminum expreßit,
Tutus bos etenim rura perambulet,
Nutrit rura cæres, almáque fauſtitas,
Pacatum volitent per mare nauitæ,
Culpari metuat fides. At ſi per rerum naturam, in vnã aliquam vocem ſeſe profundere poſſent maiore vi, copia, acrimonia, fiducia, libertate cauſam ſuam peragentes, ſic ad pacis ſimulachrũ imprecarẽtur, vti Ariſtophanes comœdia octaua, O grauißima regina adeò veneranda pax, aßiſte in vita nobis, prout nec aliud etiam, priuatis quotidie precibus, publicis etiam ſupplicationibus, nedum prophanis locis, ſed ſacris templis, ſalutiferum, neceſſarium

incomparabile pacis donum, ad ſolamen, lætitiamque omnem expoſcunt, quique Propertianas & Naſonianas imò facilè funderent de pectore voces,

Sit bellum, peſtiſque procul, pax candida nobis
Adſit: nec fructus terra benigna neget,
Det pacem, mala cuncta procul, morbóſque, famémque
Pellat, fatidicas det ſuperare manus.
Bella diu tenuere viros: erat aptior enſis
Vomere: cedebat taurus arator equo,
Sarcula ceſſabant, verſique in pila ligones,
Tractáque de raſtri pondere caſſis erat,
Grata dis, domuique ſuæ religata catenæ,
Si tandem Henrici hoc tempore bella iacent,
Sub iuga bos veniat, ſub terris ſemen aratris,
Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres,
Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades? & toto gentis in orbe mane,
Sic deſint hoſtes: deſit quoque cauſa triumphi:
His ducibus, bello gloria maior erit.

Cuperentque regem ipſum his Virgilianis compellare verſibus intromiſſi,

Rem nulli obſcuram, nec noſtræ vocis egentem,
Conſulis ô bone Rex, cuncti ſe ſcire fatentur,
Quid fortuna ferat populi ſed dicere muſſant:
Des libertatem fandi flatúſque remittas,
Qui ſibi iam requiem poſcunt: rebúſque ſalutem,
At nec arma volunt, ſed iam pacémque precantur,

Et prout eius Martij menſis quo ver redierat: ſilua vireſcere, vinea frondeſcere cœperat, floribus pene deciduis

regerminantibus, pratis pubeſcentibus, magna & copioſa frugum vbertate conſequente dies nouiſsimus paternæ vitæ nouiſsimum diem & periodum attulit, & vinculis corporeis exemit, ita Martio furori extremā manum afferat, martiſque feritatem exuat, omnes à militum feritate & ferri inſania eximat, & pax poſtliminiū faciat, atq; ceu diſcuſſa hyeme, veris redeuntis amœnitate, pellito horrido & ſqualido hyberno veſtimento exuto, animi omnium exhilarentur, arua nedum, ſed & tecta vrbium, & mœnia geſtiant, vt pace, in tanto principatu, cerere lyeo & omnium rerum affluentia adornato, frui certa lætitiáque liceat, atque pacis munia velut læta & noua induant ornamenta. Et prout vere ipſo regni auſpicati, omnia florere & ridere conſpecta ſunt, ita pacis amœnitate, iam velut aureo & virenti ſæculo reſtituto, obſtruſis templi Iani foribus, vere omnes effloreſcant, & rideant, velut veteri grauati pluuia ad nouæ lucis radios erigantur, ad quos pacis commoda peruentura, vt cognoſcant ſub hoc ipſo ſaluberrimo iucundiſsimóque Henriceo Imperio, illius & ineuntis fœlicioris ſæculi aduentum, ſub quo contingat tranquillus rerum ſtatus, innoteſcat vaticinij pronunciantis veritas, Id tempus aduentaſſe, quo iuſtitia & pax, ſanctiſſima quadam fœderis coniunctione ſeſe mutuo oſculentur, vnde aliqua modo, vel ſuo ſacratiſsimo nomini & celebritati, vel his temporibus claritas, omnibus vtilitas pariatur. vti impenſe auent, ad hæc ſic præcantur omnia proſpera,

Omnibus in terris pax, & tranquilla parentur,
Ocia ſeruentur, ſceptra ſuum imperium,

Tempora ſic regni fœlici ſydere obumbrent,
Irradiéntque ſibi fata benigna diem,

Efferuntur quidem certiſsima ſpe, eum fore ipſius noui & aurei ſæculi vindicem & inſtauratorẽ, tãquam omnibus vere Regijs dotibus in ætate florenti eximie cumulatum, vt eum habeant regem nedum Henricum ſolum, ſed & multinomium, multiuolum, tum pium, manſuetum, pacificum pacificatorem, Reipublicæ collabentis reſtauratorem, vt quod apud Pontanum & alios effari valeant,

Henricus terris, en aurea naſcitur ætas,
Et proles antiqua redit, concordia, virtus,
Cumque fide pietas alta ceruice vagatur,
Sub quo nullus erit ſceleri locus: alta per omnem
Pax populum rectum, pulſis feret omnia curis,
Faciat, vt patriam, nec hanc lycaonia nunquam
Tempora conculcent, ætas ſemel aureáque illis
Omnibus, & tali requies ſub principe ſurgat,
Dum ſibi ſint artes, pacisque imponere morem,
Id munus ſolenne dei, ſub principe tanto
Præſidium, ſub quo ſibi ſint, Saturnia ſæcla,

Poſtquã enim Rex ipſe hora meridiana fere, Ex templo Deiparæ in ſuũ tricliniũ ſe recepit, diſcumbẽs, principibus dapiferis & pincernis inſuetũ officiũ præſtantibus, ad id, veſpertino officio intẽtus, remeat, nõ cõtentus illic totũ impendiſſe matutinũ, alio amictu aureo ad inſtar ſolis refulgens, pluma cãdida à ſiniſtris Regij verticis ſuas criſtas tollẽte, pariter & ſplẽdidiſsima Regina, & Regis ſoror, margaritis ſplẽdidior illuſtris margareta interfuere, vt eius diei reſiduum fæſtiuiſsima lætitia ſit tranſactum. Et ſi is dies

Diuæ Annæ dicatus feſtus foret, & ſolennis, ex his tamen magis luſtricus, & per tam celebres triumphos, ceßit feſtiuior & ſolennior, vt ex rei magnitudine & tanti negotij ſublimitate, deſideranda in his, ad audientiũ ab ore narrantium pendentium votum, explicãdis, tanquam in annalibus referendis, ſermonis & eloquẽtiæ exactior, & propenſior vbertas, hæc præſentiens Paulus tertius pontifex maximus, in naue illa Diui Petri apoſtolica ſymphoniacorum domini choraſtes, per ſuum apoſtolicum diploma, his qui tantæ regalis coronationis venerationi aßiſterẽt, pro exaltatione fidei Chriſtianæ, & principum concordia, altitonanti preces funderent. plenariam peccatorum remißionem condonauit. At Rex ipſe quoſdã ſtrenuos & benemeritos, equeſtri ordini aſciuit, ſeu ad militiæ cochleatæ honorem dignitatémque prouexit, per eam & communem lætitiam, in ſui noui aduentus gratiã nonnullis noxijs maleficiorum pœnas condonauit, vt etiam in multitudinis fauorem, vel ob leuiora, vel aliqua crimina vincti, è carceribus dimißi, poſtero die, quo adhuc publicæ præcedentium gaudiorum ſcintillæ perdurarẽt, Rex vndique candidus, cum ſuo Regio comitatu, & ſuorum procerum faſtu, ad Rhemenſe cœnobiũ proficiſcitur, reliquo in publica danda audientia conſumpto. triduo eo lapſo Rex prouidentißimus, cõductas ſuo ære, confertißimas Germanorũ phalanges, ad ſena & triginta ſigna, ſexquimyriadẽ implentia, ſacramentum in ſuum numen dextera ſurſum elata præſtantes, in ſuo ordine militari, ſuperbo inceſſu gradientes percontatus, vt diſcerneret, quibus viribus & præſidijs externis fines regni, & limitanea clauſtra, per cuſtodias

ſtationarias tutari poſſet, præmunitus, quatenus hoſtes Gallici, rebus nouis ſtudere, aut aliquid moliri conarentur, aut fœdus ictum vellent reddere irritum, aut fœdifragum, vt eo arbitrio ſuadente pax conſtaret, aut diſſuadente abiret, his ſuppeditato ſtipendio. Reliquo & hebdomadæ die poſtremo, ad Diui Marculphi confeſſoris & abbatis cœnobiũ pergit, Ad diem craſtinum dominicum deo cooperante, ſuo contactu chironio, & tanquam Pæonio, ægros ſtrumoſos, membris putri & ſqualenti ſitu tabeſcentes, releuat, & reſtituit, quod præſtare nequeunt ſuis ſuccis & pharmacis medici, pharmacopolæ & chirurgi, illic per ſubrogatum more priſco Francorum Regum, nouendialia vota peracturus, vtique in famatiſſimo ſacello intemeratæ imperatricis, lætitiæ nomen habentis, mœſtis, diffugiente metu, lætitiam parientis, dolore fanaticos hilares præſtantis, poſtea certo interſtitio Dionyſia templa ſubiturus, altiſſimo, & Diuis martyribus regni protectoribus, ſeipſum & ſuſceptum diadema, cum gratiarum actione oblaturus, vtique ex re, tempore & captata occaſione, cordi & animo ſuo, vela gubernanti ſedeat, Lutetiam regni primariam, & reliquas vrbes per auſpicatiſſimã, Regij primarij ingreſſus ſolennitatis pompam, magnis præparatis tropheis aditurus. Reliquũ eſt, vt velit & cõcupiſcat Hericus Rex inclytiſſimus, relinquere elogium de ſeipſo quoddam memorabile, à quo exeant nunquam intermoritura trophea, doctorum hominum literis celebranda, æternæque memoriæ conſecrãda, vt velut demiſſus è cælo per auream illam Homeri catenam, feſſo orbi, ac oppreſſis diutino bello ſuccurrere & poſſit & velit: velle autem debebit, vt animo

ad pacem procliuiore, paci candidæ fauens, facile niſi laceſſitus aut coactus nec bellũ admittat, ſed ſua cæleſti animi prouidentia, componat bellorum vndas, motus & tumultus, & importuniſſimo bello finem imponat, parétque bello epitaphium nullatenus reuicturo, inculcatis & proſciſſis eorum ſententijs, nedum, ſed & contumelijs erectis, qui velut in officina nequitiæ, & flagitiorum deſiderio conſtituti, teſſeras pacis ſui compendii cauſa, nec repetunt nec agnoſcunt, nec Reipublicæ iuuandæ nati, ob id à lege naturæ reprehenſi, quibus inutilis eſt rerum tranquillitas, pacis placita perturbant, ſic arceat populationes finium, immanes pyratarum, etiam terreſtrium excurſiones omnino comprimat, tributarias prouincias quoad indicta & ſuperindicta, reddens liberas, nõ tondens quos paſcit, & qui eum paſcunt, auctionum ſarcinas belli cauſa impoſitas ſali & promercalibus rebus, & vectigalia exhorbitãtia ſuo exhauſto atque egenti popello Francico, nomen vt rei conſonet & Francicæ libertati correſpondeat, radicitus auferat, ſarcire faciat quod bello conuulſum eſt, ſollicitius attendat repurgandorum in Gallia ergaſtulorum, in pecunijs conferendis, egeſto auro in aliis prouinciis miſſo, vt docet fremitus feſſarum & exhauſtarum ciuitatum, quæ nec aliam ſalutis ſuæ rationem intelligunt, certum propemodum habentes, ad damna reſarcienda, non aliam aggrediendam eſſe viam, perbeate victurus, ſi moueatur earum incommodo, & funditus, niſi neceſſitas vrgeat reciſis bellorum ſeminariis ad pacis concordiæque ſtudium totis viribus incumbat, adamantinis vinculis aſtringat, vt ſecum principes omiſſa bellandi rabie armis poſitis, tanquam in

vnum copulati geriones dexteras interiungant, data acceptáq; fide perſanctè ſeruãda, obſidũ vice oppignerãda, in mutuum complexũ veniãt, vt inuicẽ neceſsitudine arctiore & firmiore, ſiue coniugijs vltrocitroque conſtitutis diuturnioréque firmata conglutinentur.

Is iam connubiis pacem fœlicius æque
Componat, is iam leges & fœdera iungat.

Optimúmque conſiliũ gnauiter exequatur, vt ſarciẽdæ pacis arctiſsimis fœderibus conglutinandæ auctor fiat, ad eámque firmandã æternis vinculis omnia ſua cõſilia inſtituat, qua nihil curioſius quæri, nihil præſtantius obſeruari, nihil dulcius inueniri liceat, vt ſit pax fortes animos atque viriles induta, concordantium in bonum ordinata, tranquillitas, non ſubdola, non ficta, non ſimulata, non vulpina, non adulterina, non affectata, non ſuſpecta, nõ ſequeſtra, aut odioſa, neve in pacis querelam vlterius vates inſaniant, dicatur fixe pax eſt, non, Pax erit, velut execrabile hominum genus qui apud Ezechielem prophetam dicunt populo, pax, cum non ſit pax. Sed hæ ſunt pacis & quietis machinæ ſtructiles, exanguem diu & feſſum terrarum orbem breui reficientes, per quas ſublatum ſit illud omnium pernicioſiſsimum orbis diſsidiũ, & res olim diſſociabiles ad æqualitatem reducantur, vt omnes belli formidine ac periculo ſoluti, omníque diſcordiarum incendio, omni odio, omni ſimultate, omni contentione depoſita, atque interempta, nullum externum prælium, nulli motus impendeant, vt nulla inde calamitate, aut detrimento affecti, plane videant, prorſus ſæculum quoddam Saturnium exortum, rebus ſuis incremẽti & dignitatis plurimum ac-

ceſſurum, vt publice & priuatim, fœlicem atque fortunatam vitam agant, diuturnam ſecurámque quietem ducant, ad quam pacificationem ſuſcipiendam, ſuſceptam fouendā magnæ rationes hortantur, argumentantur, inuitant, & demonſtrant, vt præteritæ calamitatis obliterata memoria, belli iniuriæ pacis beneficijs cōpenſentur, dúmq; nihil vlterius ſperandū in omnibus vitæ calculis cruētum, nihil cum alicuius dolore iacturave coniunctum, nihilo maius hoc regnum ſuámq; gentē illuſtrauerit, niſi per hæc pacis ſeminaria ad ſalutem & quietem populorum ſuorū, quæ atque longo bello multis caſibus defuncta, poſt excidium rediuiua, & renata cenſeatur inde tranquillitate refouente ſub tutela Gallicæ māſuetudinis acquieſcat, iámque ea ex bello conſequuta & parta, galeæ ſæpius cruore hoſtili ſparſæ apibus in vſum alueoli concedant. vtique enim reſciuerint & experti fuerint omnes eā ſua opera, ſuis lætiſsimis auſpicijs vbique reſtitutam, & orbi redditam Chriſtiano, laudem ſibi eam & fœlicitatē largientes, ingenti acclamatu, ſuæ maieſtati aſſurgent etiam vicinæ gentes, vultu quammodeſto ſuæ humanitati & clementiæ auſcultātes, ſeſe erigentes, ſi quod inter ſe bellum incidat, ſuum eum reconciliatorem facient, ſuóque iudicio inimicitias diſſoluere poſtulabunt, in eúmque diuina largitate ad ſupremum huius regni faſtigij culmen euectum, oculos conuertentes, ex optimis & admirandis eius ſtudijs, nequaquam erubeſcent, eum vnum inter primos eorum qui fama beatiſsimi circunferuntur annumerare, & omnia inteſtina odia ſuo arbitrio deferre, ne etiam belli inferendi occaſionem habeant, ſed coniūctim omnes iam poſi-

tis armis pari ſtudio ad eam ornandam pacem incumbant. Cum multis vltro citroque meritis & officijs in multas ætates perennaturis, in eo gloriæ ſtadio ſic effloreſcet, vt poſtea ſenſim, paulatimque ſentiat tantam rerum acceſſionem, regno ſuo eſſe factam, id vt longe alijs locupletius reddat, ac opulentum, tranquillum, pacatum, viribus florens, efficiat. Cum aliunde omnium conſenſu glebæ & ſoli vbertate nemini cedens, armentoſiſſimum, omnia lactis, omnia mellis, omnia nectaris plena euehens habebit, vt criſtas ſuas tollat, & ſuas opes noſcat, perenne ſuum fundet aurum, quod fortè, nonnulli in ſuas cupiditates libidinéſque profuderũt. Sapiet Gallia, eo nomine præcipue fœlix, omnium prouinciarum, & totius orbis pulcherrima, merito principatum obtinens, rectrix parénſque mundi altera, ſitu temporum, ſalubritate cæli, facili cunctarum gentium acceſſu, ſoli fertilitate, pabuli vbertate fœcundiſſima, litoribus portuoſis, benigno ventorum flatu, nemorum ſalubritate, montium iugis, ferorum animalium copia abundans, æque artium præſtantia, ingeniorúmque claritate adornata, in qua tantæ afferentur ab hominibus exteris inuectæ commoditates, quámque larga compendia, quámque multa in eodem importata viuendi ſubſidia, vt vniuerſum Galliæ theatrum, ſtatim applaudet his benefactis, & ampliſſimis monumentis conſecrabit memoriã nominis ſui, nec deſiſtet prædicare in regnum Francicum diuum quendam regem è cælo delapſum, vt ſperabat, qui reipublicæ Chriſtianæ, commodis omnium, vtilitati & ſaluti, ſic & paci ſeruierit. atque his fiet, vt ſuum Gallicum imperium, magis magiſque indies terra marique augeſcat

& viribus & opibus, cum incredibili bonorum omnium & veneratione & charitate, vt ſui commodi magnitudo ingenia omnium exuperet. Sic educet populū ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia, qui ſic Galliam irradians, vt aliorum gloriolam præradiet, rebus humanis ſerenitatem reducens, & demum rebus compoſitis, quieto trāquillóque animo omnes viuant, cum tandem iucundæ pacis benignitate ad Halcyonides dies Enyone ſedato, illis pacatis, tranquillis & placidioribus, ſympathia occurrēte frui liceat. His ſanctiſsimis geſtis nō erit ingrata poſteritas, loquentur de eo eruditorū hominum literæ, quæ in præſcribenda ſua ætate Saturnia, prout in primæua illa, priſci vates & hiſtorici nomen ſuum in omnes fines propagaturæ, non poſteritati modo, ſed etiam æternitati commendabunt. quid eſt enim? proh deûm atque hominū fidem, quòd Henricus Rex huius nominis primus anno redempti orbis primo & trigeſimo, ſupra milleſimum Roberto patri ſuo, itidémque Regi filius & hæres in regnum Frācicum accitus, omnium hiſtoricorum ſchædis, ſe celebrandum, & immortalitati donandum reliquerit, niſi quòd pacem Francicam adeo compoſuit, vt eo regnante pax inter Francos & Germanos tunc mire laceſsitos, & infeſtos coierit, vt regni Francici iura imperio, & imperij Francico regno, ſancta extiterint, vt hinc inde omnes inuaſa & occupata, nullo meliore iure, quàm quod vtile & commodum ceſsiſſet, ſpoliatis reſtituere curarunt, poſtea tranquillius regnum habuit, vt eidem Henrico, tanto animi robore, tanta lenitate, & mentis magnitudine prædito, licuerit in ocio prout Numæ, cum arma ſilerent, diuinū

cultũ conferre, & ædes diuinas præclaris ſtructuris adhuc conſpicuas ſtantes & erectas ſtruere, & Philippum filium maiorem natu, nondum ex ephebis, & pueritiæ annos ſupergreſſum, corona Regia inſignire. Sed nunc Henricus ſecundus nomine & re ad tanti propagati & aucti regni hereditatem vocatus, vti nominis ipſius ſit & inſignium animi pluſquam cenſus & facultatum amplificator, vt erga illum pientiſſimũ primum primigenia laturus ſit, & eius pietatis & pacis impetum conduplicet, neque honeſti quidem paterni nominis nunquam intermorituram gloriam magis illuſtrare poterit, quàm ſuperando, quicquid ille præclarum habuit, & eximium. Ne igitur ſe degenerem prolem ab illo primi Henrici ingenio iudicióque abhorrentẽ præſtare habeat, quin in publicæ pacis ſtudia, & Reipublicæ commoda, propenſiſſima ſit voluntate omnéſque ineat rationes, vt amicitia & ſocietate ſempiterna, cum reliquis principibus Europæ ſubnixis, pacis retinendæ indelebilibus conditionibus ſanciat fœdera, & ſumma animi contentione prouideat ſtrenuoſe, actuoſéque vt ad humanitatem & concordiam, non ad pugnas & homicidia, non ad diſcordias & bella natus videatur, vt de eo annales teſtentur, quod de. Q. Maximo ac Pompilio Rege Romano, pacis admodum ſtudioſis & loquuntur & ſentiunt, meriti equidem ipſi qui vt præclariſſime ſcriptum eſt, nulla cauſa moueri ad bellum putarentur, ſed in tranquillitatem verſa rerum humanarum tempeſtate ad pacem orbi ſanciendam partes ſuas interpoſuere, ob id inter immortales deos annumerari, nam vt Seneca tragœdus ait,

Conſulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempuſque iræ dare:
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo,
Hæc ſumma virtus, petitur hac cælum via,

AEdepol, hac pace nil ſanctius, nil caſtius, nil probius, nil melius, nil dulcius, nil commodius, præſertim poſt grauiſſimos ac diutinos bellorum tumultus. Cum hac quid eſt quod non creſcat, emineat, efferatur? Qua ſemota, quid eſt, quod non corruat, dilabatur, annihiletur? quam dominus regum Rex Chriſtus, diſcipulis ſuis cælos conſcenſurus indixit, nec haud alio inſigni ſymbolo, ſuos dignoſci voluit, quàm mutuæ inter ipſos concordiæ, qui & ipſe vti & iuſtificatoris, ita & pacificatoris nomine inſigniri voluit, vt per hanc quæcunque incommoda anni recedentes tulere, venientes adimant, & pro his commoda ferant. Nam ſicut placidum mare, vt eſt apud Valerium, ex aſpero, cælúmque ex nubilo, ſerenum hilari aſpectu ſentitur: ſic bellum pace mutatum plurimum gaudij affert, vt qui & miti & ſimplici ſunt ingenio, in quibúsve pudor, integritas patientia ſumma, pacem bello, vti requietem ſolicitudini, honeſtum vtili, ocium curis anteponent. neque enim quiſquam eſt, qui ſine magno auctore bellum paci audeat præferre, vt verum ſit quod M. Tullius ſcripſit, pacē vel iniquam bello æquiſſimo potiorem eſſe: quæve & quanta ſint pacis commoda Tibullus elegiaco carmine decimo libri primi deſcripſit,

Interea pax arua colat, pax candida primum,
Duxit araturos ſub iuga curua boues:
Pax aluit vites, & ſuccis condidit vuæ,

Funderet vt nato teſta paterna merum.
Pace bidens vomerq́ue vigent, ac triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus. & Pōtanus.
Pax cererem redditq́ue agris, redditq́ue lyæum,
Et ſua cantantem mœnala Pana ſonant,
Pace ſua lætatur humus, lætantur agreſtes,
Et reſides ſomnos oppida feſſa trahunt. & vt idem
Pontanus, -pax complectitur concordia,
Pectora concordésque animos: ſunt ciuica curæ
Iura, placent leges, pacta ſtant, æqua probantur,
Torquentur ſontes, & duro crimina nexu,
Plectuntur, iuſtumq́ue foro dominatur in ipſo,
Qui linguæ precium, qui famæ affectat honorem.
Ignotum: & patitur nihil, & contemnit inertes,
Hic pactus graue conſilijs: rigidúmque, tenáxque
Iudicium immotum, & verba ſonantia verum,
vtq́ue in Syluis illis theologicis deſcriptum,
Pax cæleſte bonum, ſacris altaria flammis,
Atque tepeſcentes ſuſcitat igne focos,
Pax hominum genitrix, pax eſt cuſtodia rerum,
Pax aperit iuris iuſtitiæq́ue forum.
Gloria pace minor, minor eſt victoria pace,
Atque aliquid peius pace triumphus habet.
Nulla quies homini, nulla eſt ſine pace voluptas,
Nullus amor, nullum religionis opus.
Pax vrbes, pax regna ligat, pax congregat orbem,
Fiat vt ex multis vrbibus vna domus.
Secula pax reuocat, pax aurea tempora portat,
Et mores priſcæ ſimplicitatis habet.

Ingenuæ redeunt artes, Academica florent
Ocia, Caſtaliæ ſolicitantur aquæ.
Pax facit innocuos ſaltus, nemorúmque receſſus,
Tutus it & tutas aduena portat opes.
Pax Cererem campis, & mitem collibus vuam
Reddit: & armoſo diuidit arua boue.
Gramina pace virent, per pinguia paſcua lætum
Luxuriat multa fertilitate pecus.
Pax vehit heroas, peregrina per æquora merces,
Et ſteriles ponti non ſinet eſſe vias.
Pax hilares menſas facit, & conuiuia paßim,
Et recreat molli triſtia corda mero.
Pax aperit thalamos: hymenæáque carmina cantat,
Excitat, & reſides non ſinit eſſe lyras.
Pro gladijs lauros habet, & pro caßide ſerta,
Et ſua Palladia tempora fronte ligat:
Geſtit, & ad Thyaſos agili volat ardua ſaltu,
Et vocat ad feſtos agmina longa dies.
Viuere concordes tranquilla per ocia pacis
Optant fœlices, melliſluósque dies,
Munera qui norunt, & ſanctæ commoda pacis,
Sæua velut Stygio bella ſepulta lacu.

Et profecto pacis certior receptio, quàm ſperatæ victoriæ expectatio, & plerunque flet qui vincit, vt fœlicius ſit id effugere, quàm fortiter gerere, vt nullum bellum tam fœliciter cedat, ſi quis expendat labores animi, & corporis ſumptus: quin plus afferat mali & damni, quàm boni & lucri, cúmque bellum omne malorum agmen ſecum trahit & vt ille,

Triſte quid eſt aliud bellum, quàm miſſa poteſtas,

Publica tempeſtas diluuiúmque domus.
Bella necant homines, faciunt ſine honoribus aras,
Vrbis & agrorum depopulantur opes.

quis eſt, qui non potius illud occinat.

Viuant gaudia, montium, ferarum,
Occumbat rapidum, nocens, iniquum,
Cædes, vulnera, raptus, arma, luctus,
Morbi, fulmina, terror, omne dirum:
Cedat militibus parata virtus,
Cælum, ſydera, mater alma cœtus
Muſarum venere, amœni ſaltus,
Succurrant citharæ, canor deorum.

vt non ſine cauſa poetæ finxerunt bellum ab inferos per furiam immiſſum, cũ poſt motus bellicos, & labefactationes militares comitibus peſtilentia, omni lue, & fame, & ſexcentis calamitatum generibus, quibus pariter premũtur omnes, incendia & inſignem aliquem ſecuturam ruinam videamus, vt Dauid Rex in optione ab Agab propheta ſibi delata, de tribus ſupplicijs, quorum vno aliquo plebs afficienda neceſſario foret, bellum non amplius trimeſtri ſpacio duraturum, refutauit, quòd mala quæ ſolent bellum comitari experimẽto didiciſſet. Cúmque videamus Martio tempore, impijs ac parricidialibus armis, inſontes ſine fine collidi, aut nullũ crudelitatis exemplũ in miſeros non edi, aut interimi aut perdi, cædes crudeliſsimas maximas & carnificinas nulla habita ratione patrari, hominem homini perniciem molliri, faſtum, ſuperbiam dominari, paucos à mortis antè oculos obuerſantis exemplo immunes relinqui, viis, vicis, cruore, cadaueribus tetrum ſpiritũ exhalantibus, mi-

litum gregibus paßim expleri, ædificia incendi, vrbes depopulari, atque per militarem licentiam vagam & errabundam, omnia abradentem & purgantem, nihil præter nudum ſolum & inutile rerum amiſſarum deſiderium relinquentem, arua vaſtari, agreſtes infeſtari, & per curam bellicis malis intermiſſam agros incultos relinqui, campóſque ſteriles, & vias vepribus clauſas reddi, & vt Ouidius inquit,

Tempus in agrorum cultu conſumere dulce eſt,
Non patitur verti barbarus hoſtis humum.

Vt annonæ inopia & caritas, agreſtis copiæ calamitate, agreſtes homines, militari nequitia inuaſerit, ſic omnes ad rerum egeſtatem, per belli diuturnitatem continua plaga, & extrema vexatione percuſſos redigi, inque prouincias vicinas, ob vicinitatem miſeras, male propè communibus non exortes, ad quorum agros, fortunas, vicos, id genus militare triſtimoniæ ærumnarum calamitoſarum, & tempeſtatum productiuum peruadere contingit, etiam ad quos nihil pertinet bellum maximam malorum partem redundari, cum nemo hoſti officit, quin vicinos ſuos fere vti ſuos multis malis afficiat, etiã in victoriæ dura conditione, quæ ſine multo ſanguine & prouinciæ vaſtitate ſuboriri non ſolet, cúmque pati expediat, quicquid victori collibitum. Equidem intueri conceſſum, omnia detrimenta, vel potius damnorum profluuia, publica commoda impedientia, ac omnium rerum peſtem ac perniciem, malorúmque omniũ colluuiem & tragœdiam, quæ bellum omne ſecum affert, in vitam hominum inuehi, & afferri, plebem iam attritã & diſcerptam ob tributa aliunde impetrata, & vulgus

inops male affectum, vix oßibus hærens, nec tantiſper reſpirare, & conquieſcere valens, ſqualénsque per vrbes poſcat opem, extenuari, & per militaria facinora, ea quæ ſunt ad regionis vſum comparata populari excurſionibus, publicis populationibus ruinas & populorum ſtrages inferri, ac ſpe prædæ, illiúsve cupiditate, domos magis opulentas ſpoliari, vt qui opulenti fuerant & diuites, inanes dimißi: ob id dura experti vitam duriter degant, non paucique optimo nati genere, belli calamitate preßi, mendicant ſtipem. alij ſudant vt ſua à militum nexu redimant, tot regiones deuaſtari, cædem, incendia fieri: virgines ſtuprari, nuptas adulterari, matresfamilias, quæ militibus collibuiſſet, ab raptu hoſtili vim pati, prægnantes ad abortiuos fœtus adigi, vt nil aliud mortale genus iam oleat, niſi fœdæ libidinis teterrimum nitorem, liberos à complexu parentum diuelli, vt ad cunas etiam infantium vagiẽtium ſine piaculo deſæuire potuit crudelitas: tot alia dedecora molliri, quæ pudeat nominare: tot immeritas fœminas & ſanctimoniales affligi corrumpique, fana, theſauros ſacros ſpoliari, loca ſacra prophanari, vt ſacrilegijs omnia redundent, omnem iniuriæ ſpeciem & doli præ ſe ferri, omnem humani generis ſocietatem dirimi, diuinámque contemnẽtes maieſtatem, cum ſint numinum contemptores, putantes nanciſci fortitudinis famã, ſi paßim improbis animis, & fœdis moribus, blaſphemẽt & diuinum numen etiã inter ſacras precationes diris lacerent, per quos luxata & conuulſa omnia religionis Chriſtianæ fundamenta: cum non à religioſis locis, non ſacris temperent, omnia cæde, ſtrage, flammis, inuſitata rabie complentes. Etenim inter aßiduos

armorum crepitus Bellonæ tempore, quicquid eſt veræ religionis, quicquid bonarum, legum, quicquid ciuilis diſciplinæ, quicquid honeſtarum artium, quicquid proborum morum intermoritur, aut intermittitur, ſtudiorum deſertiones accedunt, diſciplinæ prorſus iacent frigéntque conterritæ, inter arma ſilent leges bonæ & muſæ, tunc iuſtitium edici, iuriſdictionem intermitti, iudicia claudi, & tolli oportere neceſſe eſt. cum ſatis habent negocij ius dicentes: tunc ſuis tectis ſubiectos propè iam ignes circundatóſque reſtinguere, gladios in ſe diſtrictos retūdere, mucrones à ſuis iugulis reijcere, furentes & violaticos horum impetus auertere. tunc pro iuſtitia libido, pro opulentia egeſtas, inertia pro induſtria, pro ciuili ſocietate ſeditio, pro amicitia crudelitas dominantur, iura fori ſpoliato conſilio mœrent & vt ille,

Rura ſilent, vacuæque ſuis cultoribus vrbes,
Iura fori clamoſa tacent, per compita ſurgit
Gramen: & extinctæ non lucent ignibus aræ,
Nec ſolitos cantus, nec odores templa Sabæos
Accipiunt, ſquallėntque domus, muta omnia mœrent.

In armorum fragore verba legum exaudiri non ſolent, dies hi iuſtitia torpent, vtque ingenioſus poeta, & auctor valde bonus, vt Cicero retulit,

Tollitur è medio ſapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus: horridus miles amatur,
Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt.

Hique tales deſignantur, quales Naſo ad eorum peruerſitatem aſtruxit,

Siue homines, vix ſunt homines hoc nomine digni,
Quámque lupi ſæuæ plus feritatis habent.

Non metuunt leges,ſed cedit viribus equum,
Victáque pugnaci iura ſub enſe iacent.
Innumeræ gentes,circùm fera bella minantur,
Quæ niſi de rapto viuere poſſe putant.

Latronum tunc tantum veſtigia extant: latrociniјs, furtis terroribus,rapinis cuncta implentium,neque fidem,neque pietatem amãtium, ſed in communem hominum perniciẽ, vbi maxima merces ,fas atque æquum collocant. Cum hi bibuli aleatores , famicidæ, blaſphemi & innumeris vitijs conſtipati,rapones ab Ate parum benigna terris immiſsi,iuxtà inuijs deuijſque aſſueti,notitia latebrarũ,compendijſque viarum ſe tegentes, eunt libenter in excidium penatium innoxiorum,vſque adeo quòd nequeunt abligurire aut abducere, perdunt, ex rapto viuunt, & ſanguine prouincialium. Quàm miſerũ erga ſtationarios quandoque limitaneos milites,qui plerunq; per excurſiones, malũt irrumpere, velut omnia quidem depopulaturi, quàm ciuitatibus ſeſe in hoſpitium & amicitiam inſinuare,vt arces velut aſperis locis ædificatæ, nonnunquam perditorũ hominum vias obſidentium,per nemora aut ſeceſſus latrocinãtium,receptacula exiſtunt,& à dira ſpecie receptus,quique euiſceratores & velut lanij cruori & prædæ aſſueti, diſponunt paſsim vagari, res miſerorum agere ferréque, ſummi,diri,prodigioſique furoris,tragicis ſcriptoribus argumenta præbentes. At poſtquam Franciſcum ſelectæ memoriæ Regem,& Carolum quintum Cæſarem duos potentiſsimos Reges orbis Chriſtiani monarchas, ætate, opibus,imperio,copijs,apparatu bellico florentiſsimos tot iam annis & ſeno expleto luſtro inter ſe & cognatas acies fe-

ralibus bellis, mutuis diſsidijs, interneciuis odijs, & ſimultatibus atrocibus vidimus cõflictari, terribiles Europæ motus fuere, quanti poſt homines natos, vt nulla mundi pars, immunis fuerit à malorum conſortio. Iam ne commemorentur populorum expilationes, incendia, tot ſacrilegia, tot raptus, tot maleficia à prædonulis (vt ita vocat Cato) illata, nullus ferè locus, nullus populus, nulla priuata domus, nulla nobilis familia, nullus denique princeps fuit, quin cladem, iniuriam, & detrimẽtum acceperit, quin ve in tantis rerum procellis bacchante in omnia cæſim pũctimque vibrato mucrone, non humanis, non diuinis rebus parcente, omnia turbine perſonarent, perturbarentúrque, & miſcerentur vniuerſa, conflictúſque tanti aceruis corporum & ſanguine redundarint, vt tot viros ſtrenuos, quos varia æui ſeries, & anni prolixiores educauere ſublimes, quos ve longa ætas, inueteratique labores Gallicæ gloriæ famoſos peperêre, dum peditibus pedites, viris viri nec muliebriter equitibus aut peditibus equites obſtãtes & occurrentes, ſeu per infinitam ſtragẽ & cruoris humani effuſionem, mutua nec incruenta colluctatione, telis cõuerſis tantis viribus cõgreſsos, infeſtis copijs & ſignis vtrinq; certãtes, manus conſerentes, & hoſtibus talionem reddentes, etiã viatici poteſtate haud facta, Aquilo, aut Auſter, aut Eurus, cõiuratis flatibus, ad tot prælijs & conflictibus cadendum pepulere, vt cruenta eorum cadauera, quibus humus qua eos contingit mortem oppetere, pinguis & Chriſtiano ſanguine luxurians ſacra arcuit ſepultura, ſic ferino laniatu expoſita iam computruiſſe compertum ſit. Aliqui quibus nulla aſtrorum benigna ſerenitas affluxit, more Penthei mem-

bratim à machinis diſcerpti, aut more Lycæ rotati, aliȷ quibus nec referre pedem licuit, iugulati, pilis aut lanceis confoſsi. Aliȷ quibus atra nox vndique incubuerat variȷs mortis imaginibus miſerè cæſi, aliqui flammis, aliqui quibus nulla in portum patuere effugia, æquore aut tumidis fluctibus iactati, aliȷ linquentes dulces animas, aut ægra trahẽtes corpora, ſigna, percuſsiones, cicatrices in facie & membris geſtantes, vt vix vllo regno poſsit tot millium vita, aut ſanguis æſtimari. At quantũ nec adhuc ſatis tutum principibus hiſce committere regnorum ſuorum ſummã, vti ex annorum præteritorum experimentis, & dimicationũ ſucceſsibus facile fuit animaduertere, cum Mars dubius ſemper exiſtat, & Dei nutu, non hominum virtute datur victoria, atque bellicis rebus nihil incertius, in quibus fortuna timenda, cùm ſuo iure vtatur, virtutémque vincat, atque nulla in re magis dominatur, & vſquam geſtit ludos ſuos: vt caſuum bellicorum non ignari experti ſunt, fortunæ vires ingentes eſſe, eámque rerum temporúmque communium inclinationem afferre, vt pro libidine, quem viſum fuerit victorem extollat, aut victum premat, paucitas multitudinẽ, & perpuſila cohors numeroſam, quandoque vicerit, dum ingenium ingeniȷ́que dexteritas ſuperat vires, & virium molem, & Mars fortiſsimum quemque oppignerari ſolet, perſpectúmque magnopere quantũ in milite fiducia, cum aliqui pugnent equis procurrentibus, aut terga dantibus, aliqui fugam corripiunt, aut incauti ab inſequentibus circunueniuntur.

Pugna leuis, bellúmque fugax, turmáque fugantum:
Et melius ceſsiſſe loco, quàm pellere ducunt,

Illita terra dolis, vix Martem cominus vſque
Auſa pati virtus, vix longe tendere neruos,
Et quæcunque velint permittere vulnera ventis,

Dumq́ue ſtratagemata, vbique occurſant, & virtus an dolus quis in hoſte requirat? dumq́ue pactitij & collecticij milites pecuniariæ rei vim, telum omnium acerrimum & præcipuum ducant, quibus lucellum quàm vita charius, animum ad furta, ad rapinas applicantes, vtq́ue Lampridius in vita Alexandri, miles non tumet, niſi veſtitus, armatus, calciatus, & ſatur, & habens aliquid in zonula, auro monetali referta, & vt Martialis,

Impius infando miles corrumpitur auro. *Nõnulli quãdoque, prout Ennius aſſerit, nõ belligerantes, ſed bellũ cauponantes, auro non ferro vitam decernunt, vtrique ſe iactant in conuiuijs, in angulis, arculis, ambulacris, verbis procacibus vtẽtes, velut omni libidine ex ſatiati, multa indecora deſignantes. Cúmque in tanta ſuumptum bellicorum mole, cum non tam cito aut facilè bella finiri aut deponi poſſunt, ſi contingat ærarium exhauriri, nec numerentur bona fide ſuo tempore pecuniæ, confeſtim animos eorundem ſubinde fluctuare defectionibus, ſeceßionibus vacare, ſeu diſſentione aut perfidia corrumpi: facile primũ eſt & procliue, vt nec ſui ordinis ducibus, dictóve eorum audientes ſint. Iam commemorentur ducum colluſiones, multorum proditiones, rerum commutationes, quæ nunquam ſine ſummo incõmodo nouari ſolent. Docuit Vandalica fides Gẽſerichi qualia ſint aut eſſe poßint exterorũ ſubſidia ad tuendas principũ fortunas aduocata. Et cũ habent animos exulceratos, iam qui æſtus? quæ procellæ curarum &*

ſolicitudinum in deſcribendis militibus, in delectu faciendo, retinendis in officio præfectis, diſtribuendis exercitibus, vt quodvis horum minimum, principem quemuis ab omni expeditione auertere & abſtrahere deberet, ob tot etiã pericula indies gliſcentia ſexcenta ſcopulorum, naufragiorum diſcrimina & incommoda, atque per fatũ imminens & impendens, formidandum, & rerum humanarũ volubilitatẽ & viciſsitudines, grauiſsimáſque in magnis regnis & imperijs præparatas coniurationes, quæ ob id deterrẽt, & ſuas deſtinationes eſſe bello, non qualibet de cauſa ſuſcipiendo, occluſas ſuadent, vt diſsimulatione iniuriarum pacem ſæpe retinendo, nec digitum (quod aiunt) tranſuerſum ab illius amœnitate diſcedere habeant. Cum per hoc genus hominum (vt experti qui bella geſſere) calamitoſam & iniquam ſui ſtatus ſortem ſortiri, inimicorum inſolentiam pati, è ſtatarijs vitæ actibus & compoſitis, in priuatam digreſsionem, & priuatum faſtigium priuatæ fortunæ deuolui, & negotioſam vitam redigi poſſunt, vti veterum annalium monumẽta retulere in Saule, Iorano, Roboamo, Amaſia, ac Aſtyage Medorũ & Crœſo opulẽtiſsimo Aſiæ regibus, aduerſa acie à Cyro deuictis & captis, pyræ extructæ oblatis, qui potentia & opibus muniti eſſe non potuere aduerſus omnes caſus fortunæ & in vim hoſtium: in Pompeio Magno, cuius nutu, totus ferè terrarum orbis ad arma commotus, poſt acceptam bello Pharſalico cladẽ trucidato: & in Mario poſt tot triũphos, ex magnitudine rerum geſtarũ decretos, carceris cœno, ſqualore, pedore oblito, inque Paliaſeto & Pazaete, Rege potentiſsimo, prælio ſuperato, cauea in modum feræ incluſo, per Aſiam

circumlato. equidẽ in Valeriano, in Gelimere, in Beliſario, in Perſeo Macedonũ Rege, Decio ſexto & vigeſimo Cæſare, aliisq; quamplurimis etiam pabulis potentiſsimis & munitiſsimis vrbibus cõtritis, ſolo æquatis, belli calamitate & triſti euentu afflictis, de ſe exitioſum bellicæ ſortis ſpectaculum præbẽtibus. Et cum iam ſatis ſupérque in Latio, atque in hoc cælo belligeratum ſit, ſi gloriæ bellicæ ardor Henriceo pectori inſideat, aut belli aliqua ratio probetur, vt bellum ſuſcipiat, & Francicum robur excitet, ne delicijs torpeat, aut augendi propagandique imperii voluntate, vel auſpicatis noui Regis primordiis ſe & Gallicã virtutẽ armis exerceat, ne inertia cõſeneſcat aut flacceſcat, nonne ſatis habet? ſuæ ditionis ſepta extra Europæ fines proferre, & fimbrias Gallici orbis ampliare, peregre prælia gerendo, aduerſus impias Africæ & Aſiæ contumaces gentes, vltra Iliũ tranſiliens, in quod cũ Troia ſtaret, Priamique arx alta maneret, & reguũ Priami conſiſteret, in octo ſeu nouem principatus diſcretũ, Gallos ex Europa tutelæ gratia tranſgreſſos aſcendiſſe. Ageſinax ſcriptum reliquit, ac trans Macedonas, quos tãtus horror Gallici nominis inuaſit, vt etiam Reges non laceſsiti vltro pacem ingẽti pecunia mercarẽtur, victo, capto ac ſaucio, Ptolemæo, Macedoniæ Rege, inde Soſthene à Bremio altero Gallorũ duce, Seleuco à Gallis in Aſia oppreſſo, vt cum viros protulerit Gallia memorabiles, equeſtribus certaminibus ac turmis omnibus excellentes, priſci illi potius pro ſalute, quàm gloria, ſecum illis manus conſeruiſſe protulere, atque Gallicum axem vitandũ conſuluit Satyricus. Galli denique à Rege Bithyniæ, ſimul ac Græci in auxiliũ acciti, partem

regni tenuerunt,in quo ſibi nomen Gallogræci: & patriæ, Gallogræcia aſcripſerunt, vti Galatæ Galatiæ regioni Aſiæ minoris,Phrygiæ conterminæ,quā olim Galli ex Europa venientes incoluerūt. Plerique & alii qui ne Gallicā quidē aciem proſpicere auſi,nec ſuſtinuerūt. imagines & elogia vniuerſi generis Franci,lōgum eſt attingere,in quorum & nobilium heroicarum virtutum laudem, multis in locis prolata mentione, plenis velis vehuntur hiſtoricorum literæ.Si ergo ſua immortali,ſempiterna laude velit ſui memoriam poſteris relinquere,illuſtre aliquid faciat,vt ea quæ Ludouicus apud Damiatam,& Canopum, Carolus Gētilis,Carolus Metellus,Ludouicus Pius,Gotthofredus Billionus,Tancredo adiutore,Balduinus,Guidofrancus,Hieroſolymorū & orientis Reges, ac Tholoſas aperto Marte, toties ſignis collatis, tot millibus cæſis,Græciam, Aſiam minorem, Armeniam citeriorem,Syriam,& Meſopotamiam,ſuo regno adiecere, poſtea magna Chriſtiani nominis iactura, dolo & fraude virorum amiſſa,regna recuperet,& ſuæ ditionis faciat.Et prout peculiare ſemper fuit Francorum principum,& Regum in omni Chriſtianorum numero, Chriſtianæ vtilitati,ſemper & dignitati conſulere,qui rebus bellicis ingenti animo & excelſo, omnem barbarorum & infidelium impetum non modo ſuſtinuerunt,ſed,inquam,repreſſerunt, immo fuderunt,fugarunt, & oppreſſerunt, vt tota Europa, totus oriens,omnia propinqua & longinqua loca, ſint Francorum tropheis & victoriȷs referta.Exardeat animo ad illorum opera imitanda,moueatur etiam quantum ſentire fas habeat,vt funeſtæ teterrimæque cladi (quam ominari quiſpiam nolit)

occurrat, cum penè vniuerſus terrarũ orbis, vti Aſia, oriẽta lis AEthiopia, Mitylene, Peloponeſſus, Chalcides, Driua ſtum, Aloſium, Scodrea, Mothonia, Broia, Miſia, Trape zunta, Theſſalonica, Tauranum, vetere vocabulo Dyra chium, Nanpactũ, Scythia, Aphrica, Græcia, Pãnonia, Epirus, Illyricúmque latus, Rhodos inſularum citra cõtro-uerſiam munitiſsima, nobiliſsima & celeberrima, in qua quatuordecim ſupra ducentum annis Rhodienſis equeſtris vigens ordo, vſque ad extremum contra Turcenſem perfi diam conſtitit præſidium, Maluaſia, Neapolis in Roma na, & permulta quantula eſt Europa ea parte quam ab Aſia diuidit Tanais. parent tot etiam & tantæ aliæ pro-uinciæ ſpurciſsimis ſatellitibus nominis Chriſtiani hoſti-bus ærumnoſiſsiméque ſeruiunt, atque illi hiſce carmini-bus comprehenſi,

Cappadoces, Phrygij virides vbi flumine rippas
Curuat, & argutos audit Mæander olores,
Et veteres Heneti, Cares vbi dicitur ortum
Augurium: Lycij, Pontus, Bithynia diues,
Hannibalis tumulo inſignis, lyæiq́ue vetuſtum,
Vnde genus Thuſcis, fuluas vbi voluit arenas
Diuitibus Pactolus aquis: hæc omnia noſtris
Hoſtibus: & rigido parent inuicta tyranno.

Et iam nefarij illi per omnem intemperantiam Italiæ, Galliæ, Hyberiæ clauſtra iam pulſant, cũ ſic finitimos ve-xant, & vicinos vrgent populos, tunc commune negotium eſt quo commune periculum verendum, ne res adeò in-crudeſcat & ſerpat hoc virus diffuſius, nullum remedium amodo excepturum, niſi protinus occurratur,

Cum neglecta ſolent incendia ſumere vires,
Gallica res agitur paries cum proximus ardet.

Henricus vnus profectò hoc tempore occurrit Rex inuictiſsimus, apud quem vniuerſa Chriſtiana Reſpublica, ægrotatione morbóque cōfecta, tātis ac tam diuturnis Mahumetanis fluctibus agitata, ad legem proſopopœiæ ad hæc inſimulanda, velut in proſopopœiis theatricis introduci poſſet, & veluti orthodoxæ religionis perſona, vt hanc ferā & ſanguinariam Mahumeticam rabiem à Chriſtianorum ceruicibus, templis & aris depellat,

Ne fera barbarico conſurgant caſtra tyranno,
Nec terat & fidei limina Turca manus,

Quemque in hoc ſui vindicem habiturum ſperet, per quē debeatur illa labes priſcorum annorum, & recentior macula ſuperiorum in amiſsis tot vrbibus & locis munitiſsimis, & populis noſtræ fidei parentibus, maximum & florentiſsimum Bizantiū imperium ſibi hæreditario iure debitum, cuius nomen in vniuerſa Græcia ſanctum habetur, & venerabile adipiſcatur, Oceanō imperiū, aſtris famam terminaturus, virtute Gallica nequaquam elanguente & obdormiente,

Gloria terrigenis magna futura ſuis:

Vt illi perpetui Chriſti nominis: religionisque hoſtem, mutatis quandoque vicibus vim Gallicam agnoſcant experti, & formident victi, diuinam quandam animi virtutem & fortitudinem Henriceam agnoſcant. quæ in Idumæam extendat calciamentum ſuum, & ſibi illic alienigenas ſubditos faciat aliquid, agere optans memoria dignum, ex ſuperiorum ſuorum regum exemplo, qui ſtatuas

& plura in Aphricam & Aſiam reliquere trophea ſuarum expeditionum teſtimonia, quos ob geſta illa præclara immortalem gloriam aſſecutos intelligant omnes, aut ſaltem pietatis religionisque cauſa nominis Chriſtiani dignitas & amplitudo, ab ipſo aduerſus validiſſimos, opulentiſſimos impiorum duces defenſa & adducta ſit, vt non ſolum ſuæ pietatis laus, ſed communis ſalutis, vtilitatisque fructus verſetur. Et ſi inſtinctus ad hoc regius diuinitus afflatus, non indigere videtur vllis hominum ſtimulis, vt neque cuiuſquam conſilij, nullius admonitionis, nullius cohortationis indigeat & eum ad hoc negotium tam ſanctum, tam pium, támque diuinum inſtigare nihil videretur, niſi currentem incitare, quo id ſibi maxime cordi ſit, vt Rempublicam Chriſtianam adeo inclinatam pro virili iuuet, ſatis tamen perſpicue intelligi datur, nullum eo efficacius remedium ad naufragam Diui Petri cymbam (vt lætetur quicquid genuerat) ad portum reducẽdum, & illi perpetuo non leue depoſitum relinquendum, & regna ſua tranquilla, ab omni diſſidiorum luce incontaminata ſeruandum, quàm aduerſum hos bellum ſuſcipere, quibus ſeruire non minus turpe & fœdum ſit, quàm ærumnoſum & miſerum. Quare ſi id eſt maxime naturæ neceſſarium, quod ſit honeſtum, non obſcure illi perſuaſum arbitrantur multi, vt is Rex qui inter principes Chriſtianos Chriſtianiſſimus & dicatur & habeatur, non permittet Chriſtianiſſimum genus, tam diu, tam grauiter, ab illo ſpumãte, frendente, furibũdo tumoris horridi, pluſquã Erymanthio, Arcadico, Calydonio, & Mænalio apro, ſanguinis Chriſtiani ſitibũdo, multa ſemper minitãte, &

abigẽte quicquid obſtat, barbarica immanitate, ferro ignéq; abſumente, ad monarchiã, vt nil vero propius, aſpirante, diſſecari, diſsipari, & tanta malorum mole premi, quin huic tantæ Chriſtianæ religioni ignominiæ, probro, & emi nenti periculo, quamprimum conſulat, & eum vti alter Hercules funditus euellat & extirpet, néue permittat tam ſanctiſsimum nomen quod eidem Diuus Ludouicus & ſui maiores, tantis ſudoribus, & laboribus, multo ſanguine peperêre, & auxere, tam tetro, tam deteſtabili dedecore, ab illa ſpurciſsima, teterrima, barbara, immani & Gotthica gente execrabili in tẽperãtiæ fœditate obruta (qua certè ni hil durius, nihil abhominabilius, vel dici vel excogitari poſ ſit) ſcelerari, conſpurcari, & cõtumeliæ nota inuri, quæ dũ toties finitima loca populabunda aggreditur, auidi animi manifeſtiſsima dat ſigna, nõ ex paruipẽdendis cõiecturis, velle ſuum imperiũ longe latéque propagare, nomen Chri ſtianum ad internecionem radicitus delere, & extirpare. Quamobrem videat, quid progenitorum ſuorum gloriam auxit, illuſtrauitque, quod coniunctis auxiliis, bellum in illos cõmunes Chriſtianæ religionis hoſtes, receptis Hieroſolymis, imperio trãs Euphratẽ propagato, haud perpar uis expeditionibus & leuibus prælijs, ſed prope multo hau ſto cruore cõfecerũt, res Turcicas acriter arcuerunt, principes eorum aut ceciderunt, aut neci tradiderũt, aut ſede exturbarunt, & in exilium egerunt, aut vinctos ad ſe perductos in vinclis habuerunt, vt hoſtis ille procul illis fuerit, ad Niceam, ad Antiochiam, ad Bouinas, aliáque peregrè & longinqua loca victoriis Frãcorum nobilia, petendus & debellandus, vt nedum imperij fines longius propa-

garent, ſed ſui nominis ſplendorem, exiſtimationémque pro meritis triumphis, ac titulorum honoribus & cognomentis, magni, pii, Chriſtianiſsimi dicerentur, qui inde ad ſuos poſteros eundémque Henricum Regem, horum honoris titulorum ſucceſsionem hæreditariam, per manus tradiderunt. Et ſi de eadem regali incomparabilique virtute diffidendum non ſit, neutiquam committet, quin nedum maiores illos ſuos imitetur, qui terra marique præclara facinora geſſere, quinve illorũ gloriæ amplitudiniq; reſpondeat, ſed etiam aliquid tantorum operum exuperet. Is cum ſit robuſtus corpore, animique præter cæteros ſuæ ætatis elati & magnanimi, plerique in eam certam adducuntur fiduciam, vt ſua ſponte, ceu quodam naturæ ductu, vires, copias adhæc & florem ætatis impendat, nec labores ſibi maximos & periculoſos formidet, quos legimus heroas, Herculem præcipuè, ac Theſeum in vita delegiſſe, quibus certi & gloriæ, bene de humano genere meriti conſulerent ſuæ, & præmium non fragile ac caducum, ſed perpetuum & immortale conſequerentur. Talibus ſecundiſsimis auſpicijs eidem Regi fortunatiſsimo & prudentiſsimo principi, planè optimo, & acerrimi ingenij caſtrorum imperatori, & belli duci experientiſsimo, preſto erit miles fortis, (cum in Gallia multi Hectores multi achiles) durus, exercitatus laboribus, vigilijs, excubiis, obſidionibus, excurſationibus, præliis. cum, quod bonum, fauſtum, fœlixque accedet, capiet arma omnes, deſcendet in ordines quiſque ſuos, curæ, vigiliarum, ſtationum, cuſtodiarum ad ſtrenuiſsimum quemque recident, pugnaturi omnes Francico nomine, vti illis & vt cauſa ſua dignum

erit, ac non pauci præterea nec contemnenda nobilitate, in armis illi aderunt, & cæteri minore inuidia, cum omnium piorum arma, in Syriam ferentur, Franci ductu, militatura, nomen Chriſtianum incitatura, ad háſque efferas, barbaras nationes debellandas, reliquos Europæ reges, & principes Chriſtianos ac potentatus, quibus circundatus & vallatus eſt, amicitiam ſuam & ſocietatem ſecuturos, ſibi conglutinabit: vt ſecum ſentiant, conſumptiſque ſimulationum commentis, vti illis condictum erit, æquè iureiurãdo pollicentes ſibi auxilio fore. ob id bellicam talem expeditionem nullatenus detractantes, vltro ſe comites periculorum offerent, ſuppetiáſque afferent: tantũ aberit, vt Gallorum quieti inferendi belli occaſionem habeant, quin potius animis conuulſis, & inteſtinis odiis immutatis, & reſciſsis, inferentium facinora ſeueriſsimè ſint vindicaturi. Etiam ſacram militiam profeſsi, in fœdus communis præſidij adigentur, neque deerunt pecuniæ belli nerui, concionatores circummittentur, quilibet cum his celeuſtes & hortator aderit, ad excitanda piorum ſacro ære arma, quæ nõ tam prophani, ſed & ſacris initiati induere non erubeſcent, ac multi in ſocietatem admiſsi, proprijs ſumptibus militaturi. Tota Europa & reliquis confœderatis prouincijs ſacrum aurum cogetur, tunc vrgens, legitima & neceſſaria cauſſa aderit, viceſimæ omni generi ordinique hominũ perbellè indicendæ, vt ſanctè, piè, & libere erogata pecunia, in hoc ſubſidium conferatur, & ſi huic bello tam neceſſario, tam honeſto, tam glorioſo, pro ſua vel pietate, vel beneficentia mentem omnem intendat, florem ætatis, robur virium & copias ſuas obijciat, exploratiſsimum habebit

eos impuriſsimos, flagitioſiſsimos Scythas, & Sarmatas, cum formam pugnandi, & genus illorum hoſtium facilè domandorum, multis iam perſpicere conceſſum, ne ſuorum militum appropinquantium conſpectum laturos: ſed velut panicis actos, ac quaſi oculis, fuga, formidine, ac amenti conſternatione affectos, ſtrage facilè opprimendos, vt non ſit quod futuræ victoriæ dubitationē vllam ſuſcipiat, quin omnia ſint dexterius ex ſententia ceſſura, eum regem hortantur fata, ad has res magnæ fortunæ obeundas, ſic Dei oracula ita illi promittunt, & confirmant, vt recidiua Frãcorum virtus, in his nationibus ſubigendis, ſubactis & domitis, legibus ſuis alligandis reſurgat, vt tanquam regum ſydus, & Chriſtianæ fidei propugnaculum, vltor & lumen, illam teterrimam hoſtium colluuiem, late omnia longéque turbantem, prædantem & populantē vſque ad cladem extremam, & internecium conterendam & proculcandam rediget, & ita adiget, inacceſſa peruia faciens, vt reſti collo circuniecta illaqueati, ad extremam veniæ petendæ ſpem, conditionémque deſcendant. Ex quibus religionis ſpe exorta, ſacro lauacro initiandi, dogma imbibent Chriſtianum, ad nomen Chriſti propagandum idoneum. Sic illi efferati, immanes, agreſtes, beluini, apud Scythicas Caucaſi rupes & horrendas Indorum ſolitudines, cicurari & manſueſcere diſcent. Ad huius denique belli exitũ & fœlicem conficiendum, quo orientales omnes ſuæ fidei poteſtatique permiſſos ſibi parere coget, nõnihil conferent martyrum preces, quorum corpora ſupra editiorem arã, fani Dionyſiani triplici feretro impoſita, Regibus extra regnũ proficiſcentibus, in inferiore ſacrario collocantur, necnon

rutilum miſſum ex æthere donum, aureáque flãma, ſumma religione expendenda, quæ quicquid adhæc cogitet, voluatque animo quantumlibet magnum, id peruenturũ polliceri videntur, Surgat iam tandem Rex triumphantiſſimus, fortiſsimus, vt eum velut fortem principem, numen inuitat, excitat, hortatur, impellit, vrget, comparat, vtatur dum licet cæli beneficio, vtatur tanto, & tam grandi bono, quod illi cælum oſtendit, domino Chriſto, in ſuæ candidæ crucis ſigno propugnatore, vexillifero, adiutore, palmã pul cherrimã, & expectatum triumphum ſpondente, vt ſicut reliquis Chriſtianis principibus ac regibus dignitate Regia præſtat, ita abſolutiſsima virtute, his omnibus & vera gloria ſit ſuperior, in quo ſibi omni ope atque opera ſtuden dum eſt, vt veluti Pentathlus, terrarum peragrator, omni peragrato orbe, ob plura in Republica Chriſtiana augenda, merita, immortalitatem mereat, cum periodõ propè vicerit, nullibi non documentum futuræ victoriæ ſuæ nulla ephedrorum & ſuccenturiatorum formidine, nullo victis ſolatio relicto dederit, atque vim & magnitudinem vtilitatis ſibi comparabit maximam, necnon voluptatem cum ſibi conſpicua erit amœnitas Aſiæ minoris & Græciæ, vbi copia pſittacorũ humanas voces depromentium, chære valéque ſonantium, aliorúmque verſicolorum alitum, ad aures & pectora mulcenda, per mille vocum diſcrimina varios modos referentium, cum & aliunde intus,

Martis aues, læto victoribus omine, Galli
Proſpera vocali gutture, ſigna dabunt.

Cumque ex propoſita & ſperata victoria in eum ſunt peruentura tot promontoria, tot litora, tot oppida, tot ſinus, tot inſulæ, tot

portus, tot maritimæ vrbes, in quas & vltimas illas oras atque litora orientali plagæ veſtigia ſua imprimet, vbi aceruus ingens auri & argenti, ac gemmarum, margaritarum, vnionum, aromatúmque omnis generis, quæ remotiſſimis illis inſulis ab eo bello ſubigendis afferentur, partus eſſe poterit. ſic omnia ſub manu tenens, vno veluti pugillo, nullis terminis diſcriminalibus poſitis, concludet hos rubeos recutitos, Getas Ripheos depopulatores & numeroſiſsimas penè nationes, vt quàm facilè coaluerit potētia, ita fortiter creſcet, adhæc & magnas res gerendas fortunatus, cum adhæc gerenda & conficienda incredibile erit memoratu, quantum illi Deus aderit, & fortunabit ea quæ aget. Cernet ſe Aphricæ & Aſiæ illiúsque indignantis Oceani domitorem & euerſorem, videbit equidem ſol lætus hæc ſpectacula, videbunt mundi lumina, angelo præſide, atque erecta crucis trophæa auxilio occurſura, triumphos, opes, regna, imperia datura, quo Rex ipſe Henricus glorioſiſsimus nedum dexteram in hac victoria propaganda ſuppoſiturus, ſed æquè ſiniſtra tāquam Homericus Aſterepatus iaculum intorquens, mentis ſuæ aciem non ſolum ad humanam, per quam teneat humanis in rebus faſtigium, ſed ad cæleſtem veram & ſolidam gloriam reflexurus, vbi dominus Chriſtus, tanti commodi memor, quod nullum verè ſuum militem, nullum ducem præter Francum inuenerit, in eum velut ſuum miniſtrum iam veteranū nihil non nectaris Ambroſii eximii & cæleſtis beneficii confert, æquè in terris, vt nihil ferè erit, quod vel à natura vel à virtute, vel à fortuna ſit expectandum quin tunc Rex ipſe cū mulatiſsime conſequatur, cum tanti honoris, tantæ maie-

ſtatis, tanti denique iſtius imperij titulos intentis oculis perſpexerit, quod Syria nullum agnoſcet imperium niſi Francorũ, liberis & poſteris ſuis ſe curaturis, vt nihilo ſua virtute futuri ſint inferiores, ac velut paternæ eruditionis Regiæ compotes, imperio potiantur adiiciet aculeos. Poſtea nec deerunt qui laudibus vehant hæc bella, ab eo vel excita gnauiter, vel gerenda fœliciter, victorias armis Gallicis partas recenſeant, triumphos regaliter actos celebrẽt, quantumlibet hiſce rebus gloriæ tribuerint, iam adſtrepent populares diuerſis incitamẽtis gratulaturi omnes fœlicitati ſuæ, ſucceſſusque ſuos eò libentius cõmemoraturi, verumenimuero populis argumentum erit virtutis, vt quid memoria dignum in ſacra gleba geſtum erit, cantu ſuo ſuas ornabunt laudes apud quos, vt Maro inquit,

Semper honos noménque ſuum laudéſque manebunt,

Nulla ætas, non prædicabit grata recordatione eas laudes, agnoſcens veram tanti Regij incomparabilis, & inuicti animi ſublimitatem, & ſi multa extent maiorum ſuorum egregia tum bello, tum pace monumenta, quorum perſecutio, neque loci, neque temporis huius eſt, alius ſane appoſite edocet locus, omnia ea vt per ſe magna ſunt, & immortali memoria digna, cum his conficiendis comparanda poterunt eſſe minora. Eaq; præſtabunt ad Regis Henrici honoribus ſempiternis digni magnitudinem, naturam, mores, ætatem, geſta, vt facundiores & eloquentiores ſui ſeculi ſcriptores ditaphori Gallicæ nationi vindicati, exterique, nedum ſolutæ vocis eloquio, ſed & hiſtoriæ molli filo intexto, ſcriptis mandẽt & literis, hæc quæuis memoratu digna, quæ, ne dum ora inflammantes ſed ſuo ferreo

& adamãtino calamo ſtilum acuẽtes, ad pro tantis meritis digna præmia, indelebilibus chartarũ monumentis, nullo æui quidem tacite ſe ſoluentis edaci dente conſumendis, nullo vnquam fortunæ variantis incurſu, nullo etiã ſqualſentis æui ſenio obliterandis conſecrabunt, alij addent obeliſcis, vbique ex marmore aut lapide duro collocandis, ad imperij dignitatem, multitudinem & magnitudinem, inde optima ratione, ſuæ ſtatuæ, ſui vultus effigiati, Alexandrinis illis, ad abſoluti principis ſimulacrũ, venuſtiores & abſolutiores, à nullo præterquam ab Apelle pingendi, & à Pirgotele ſculpẽdi, à Lyſippo ex ære ducẽdi, Zenophontis illius Socratici in Cyro informatæ imaginis, exẽplare formatiores, per exoptatiſsimam faciem Regiam contemplandam, cum progenitorum regum imaginibus, in ampliſsima illa Lutetiana forenſi parlamẽtaria aula, pilis inſidentibus copulandi, à nullo iconomacho proculcandi, cernentibus literarũ ignaris, ea quæ conferent ſcriptura legẽtibus repræſentaturi. Ex quibus in nomen gloriámque procedet, hæc erũt celebriora ſtẽmata, qui ſic rẽ tã excelſam geſturus, quàm Gallica palatia, pyramides, & ſtructuræ in Gallia, quæ nec illorum ampliſsimorum ædificiorum conſtructores beatos effecerunt, prout nec labor Babylonius Aſsyrios reddidit immortales, neque ſi qua alia demonſtratio fuit theſauri & diuitiarum, ſtructionum vnius aut multarum manuum aliquorum principum, quæ aſpectus ea omnia, non vitæ rerũmque iuuamina, paruáque ducẽda, & cuncta pauci tẽporis, nec ſtudio digna, vrbs Roma, etiam pia regna, dies feſtos agent, in omni ætate & ordine Chriſticolæ templa reuerentiſsime circumibunt

nullum bonæ imprecationis genus prætermittent, quin in numen hymnos concinnant, & ſui vota concipiant, nuncuparintque ea de barbaris præbita trophæa, digna principe Chriſtiano, digna maioribus ſuis, digna Rege Frāco, digna ſeipſo, atque ora Syriæ in poteſtatem redacta, maris poſſeßione parta, Orienti iugo impoſito, & Turcico bello confecto, ſacrove regno recuperato, & domino Chriſto reddito, cum ſuis militibus & ducibus ſacro bello perfunctis, curſum ſuum ad circulum, & polum Gallicum reflexurus, auræ vitalis reſiduum in pacis ſtudiū velut Ptolomæus Philadelphus, ac Dietrichus, & Antoninus Pius tranſacturus, nobilißimo apud poſteros exemplo, plenus gratia, honore & diuitijs in monte illo ſcanſili, vbi palma, quies, dulcia laboris præmia, præparare poterit, ſuis populis conuiuiū pinguium medullatorum, conuiuium vindemiæ defecatæ, quale depinxit Iſaias, vbi benedicet dominus coronæ anni benignitatis ſuæ, & campi ſui replebuntur vbertate. Tunc pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingētur, in vtriuſq; gloriæ ſplēdore, maximus illis ſurſum aſpicientibus admirabilis exordietur, dum ad immortalem gloriā ceu via quadā Regia contendet. Poſtremo conſtabilita omnibus in regionibus pace, per amniſtiā à Thraſybulo apud Athenienſes inſtitutā, vt non aliter adminiſtratio ciuilis, iudicia & leges conſtare poſſunt, quarum & pandectarū theſaurum nunquam Iuſtinianus in lucem reduxiſſet, earumque ſtudium libris iam carie obſitis nec Lotharius ad nouæ lucis vſurā reuocaſſet, niſi prius vndique pacis legibus, vbique etiā cum Francis contractis & compoſitis, ſic tanta moderatione, tranquillitate Reipu

blicæ reparata, tumultibus bellicis, morum modeſtia diſſipatis, domi mox & iugiter, nullo velut interregno in indicendo iuſtitio, multa ſibi ſuis & ſuo regno cõcinna pace & ocio habeat pertractanda voce, nedum docenda, ſed exemplo mouenda, & ad effectum perducenda, ſi ſummam hominum beneuolentiam multis officijs iam ſibi conciliare, & dare omnibus occaſionẽ ſui nominis celebrandi concupiſcat: atqui non armis & bellis gerendis ſolum decet ſummos & commendatiſſimos Reges, claros eſſe, ſed & alios velut comitate Totilas in ſubditos eo ſint affectu paterno, vt animo neutiquam fatiſcente præſidium præſentaneum afferat ijs qui laboribus irrequietis ſe ad eum conferunt, & deuolant, & ſub ſuum iuſtitiæ vexillum, tanquam ſacrum Aſylum & in portum aliquẽ maxime opportunum committunt, ſeu in ſuum ſe ſinum, velut ſummi regalis faſtigij culmen, & humanæ iuſtitiæ præmiũ ſupplices inſinuant, vt illis ſit, (quemadmodum Iſaiæ viceſimo quinto capite ſcriptum) fortitudo egenis in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu, ſpiritus robuſtorum, quaſi turbo impellens parietem, vt pro iuſtitia & æquitate conſeruanda, velut Alexander Seuerus poſtponat omnia, præſtet iam ne ab noxijs ſint innocentes impune ſuggillati, ac quodlibet vulnuſculum ſuæ iuſtitiæ ſplenio obducat, vt in Gallia habeat in quo ædificet memphiticũ æquitatis & iuſtitiæ boreale Propylæũ, vt Hẽricea merito nuncupari valeat, ſicut regnum AEgypti, ab AEgypto Rege nuncupatum, ob eius perennem virtutem, excellentiam & iuſtitiam, ac quod illis carminibus comprehenſum,

Det quoque & auguſtam genti conſcendere ſedem,
Et fontem luſtrare boni, det luce reperta,
In ſe conſpicuos valeat defigere ſenſus. Hoc tanto principe ſic fœliciter imperante, Traianum publicam pacem priuatæ ſuæ vitæ & gloriæ anteponentem ea rerum pacificatione, etiam ſpectata probitate, & auguſtũ fœlicitate adæquante. ſimul iuſtitiæ radijs condecorato, ſuis populis perpetuo bene erit, qui tunc popularitate & beneuolentia obnoxij, eum ſuum veluti Salaminium, optimum, ſapientiſsimum, fortiſsimũ, moderatiſsimum, venuſtiſsimũ Regem, ac celeberrimum, & ampliſsimum, quouis præconio dignum, laudibus grauiſsimis, & ſimul coniuncti vates etiamnum carminibus, oratores ſua peculiari phraſi, & Latinæ linguæ puritate & gratia celebraturi. Demum in eo venerando colendóque, nõ tam acceſsione, quàm ſtabilitate, vltra publicas gratulationes, priuatos in ſe plauſus & ignes concitaturi, atque ardentiſsimis votis regum Regem optimum, principum principem, dominãtium dominum deum, imperium ſine fine dantem, comprecaturi, vt ſuis ſanctiſsimis conatibus, det exitum ea pietate, ea animi celſitudine, ea prudentia dignum, háncque ſibi mentem & animum perpetuò conſeruet, vt vnus poſt hominum memoriam fuiſſe rex dicatur, qui magni Regis numeros abſòluerit, religionem ſanctiſsimè coluerit, religionis ardẽtem zelum, verum fidei cultum mortalibus auxerit, fontes beneficentiæ in bonorum tantum commoditates deriuarit, virtutes demum omnes cognouerit, amauerit, illuſtrauerit, ſuam æquè maieſtatem florentem tueatur, vt illi quicquid longæui ſupererit temporis, agenti ſibi & fortiter ſuſcipiẽti

ſtationem regiam paternam & auitam, ſoliúmque patris & Gallici imperij adminiſtrationem accipienti, decoráque regni tenenti, traducere liceat in ſtatu Reipublice fœliciſsimo, ac Reginam prolificam, mox ſobolē Regiam propagaturam, iámque partui propinquā, Delphinum, Duciſſam iam in lucem editos, ſuos tenellos, mellitos ac ſuaues liberos, natos natorū, ab illíſquè naſcendos, diutiſsime proſperè fœlices ſeruet regno ac Reipublicæ Chriſtianæ incolumes.

FINIS.

EXCVDEBAT MATTHAEVS DAVID

Pariſiis, Anno 1547, *undecimo calend. septembris.*

SPECIAL
DC
114.3
C53
1547

88-B
34377
Bound w/
88-B 34681
85-B 3104 c.2
85B 3101 c.2
87-B 3940
85-B 2964 c.2
88-B 34819
88-B 34820

GETTY CENTER LIBRARY